



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XX. De Testibus Et Attestationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

in alterius præiudicium cedere possit, at vero in proposito casu, de modico aut nullo præiudicio agitur, neque est suspicio vlla collusionis; imò maxima præsumptio, quòd litis contestatio interuenerit, ea enim est processui intrinseca ac substantialis, atqui intrinseca, & necessaria solennitates interuenisse præsumuntur. *l. Sciendum. 30. ff. de V. O.* Accedit, quòd sicuti admittuntur testes ad probandum acta seu instrumenta, si amissa fuerint. *l. Testium. 18. C. De testib.* dummodò amissio sit verisimilis, & timor non subsit collusionis aut fraudis, uti hinc limitat *Felinus. n. 1.* Ita etiam in casu simili,

amissa acta Originalia probari possunt per confessionem partium. Denique credibile est, quòd iudices priores etiam testati fuerint, litis contestationem factam esse, quamobrem ait Pontifex, de ea non dubitari, quia videlicet iudices testabantur, & partes non negabant.

Nota II. Si causa ad alios iudices deuoluatur, acta & processus prioris iudicii eis exhiberi debent, uti expressè etiam habetur in *c. Causam ij. de testib.* & sic patet, inquit *gl. hic. verb. iudices*, quòd acta vnius iudicii coram altero iudice produci possint.

TITVLVS XX.

DE TESTIBUS ET ATTESTATIONIBUS.

Postquam de Probationibus generatim dictum est, nunc ad species descenditur, & Primò omnium agitur de testibus & attestationibus eorum, cum is probationis modus per viuæ vocis testimonium præcipuus censeatur, quippe communiter vsurpatus, clarus item & efficax, præ cæteris probationum modis. *arg. c. Cum Ioannes. 10. de Fide instrum.*

CAPITVLVM I.

Placuit.

PARAPHRASIS.

Statuit Concilium Maticense, ut testes pretio non conducantur, ac idonei & fideles in testimonium assumantur, & non nisi jejuni. Quod ad Primum horum attinet, dicendum est, si testi pro testimonii ferendi actu pecunia data aut promissa sit, corruptum censeari, seu ad hoc infligatum & conductum, ut falsum testetur, sicut ex Communi docet *Farnac. de Testibus, q. 67. n. 236.* quamo-

bre eius testimonium à parte aduersa reiici potest, imò etiam iudicis officio, teste eodem *n. 254. Mascard. de Probationibus. Concl. 454. n. 8.* Quin & sententia per corruptorum testium attestationes lata, retractari debet. *l. Diuus. 33. vbi Bart. n. 1. & 2. ff. de re iudicata. Mascard. Concl. 454. n. 6.*

S V M M A R I V M.

1. Testis corruptus censetur, cui pro testimonio ferendo pecunia data vel promissa fuit.
2. Qui pecuniam pro testimonio ferendo accepit, torqueri quidem potest super crimine falsi, non tamen ex eo præcisè capite, ut falsarius puniri.
3. Peccat etiam contra Iustitiam, qui pro vero testimonio ferendo coram Iudice suo pecuniam ut pretium operis accepit.
4. Et restituere eam debet danti, nisi animum donandi hic habuerit, aut post prestitum testimonii actum ex liberali animo nulla promissione obligato dederit, vel dederit in compensationem expensarum.
5. Idoneus ac fide dignus testis habetur, de quo

quo nulla potest ostendi inhabilitas, aut defectus. Et quia per nullam exceptionem repellitur, dicitur omni exceptione maior.

6. Vt testes iuveni sint, quando deponunt, ob juramenti prestandi religionem, consilium est, non preceptum; vel saltem contraria consuetudine abrogatum.

Queritur I. Vtrum testis qui pecuniam pro testimonio ferendo accepit, hoc ipso tanquam falsarius seu de crimine falsi puniri possit. Affirmat *Bart. cit. l. Diuus. n. 7.* & alii plerique apud Clarum, verb. *Falsum. n. 13. arg. l. 1. §. Sed etsi. ff. ad. l. Corneliam, de Falsis.* sed æquius est, & tradit ipse Clarus & *Farinac. n. 238.* non esse consequens, si quis pecuniam acceperit ad testificandum, falsum dixisse, vti constat ex *c. Licet. 9. de Probationibus.* quamuis magna sit præsumptio falsi, & ideo torqueri possit super falsi testimonii crimine, sin autem persistat in tortura & nihil fateatur, tum Judicis arbitrio puniri poterit, non tanquam falsarius, sed qui contra jus pecuniam acceperit pro testimonio ferendo, quemadmodum & is puniri potest, qui vt verum testimonium diceret, pecuniam accepit, cum id turpe ac legibus prohibitum censeatur, *c. Non sanè. 15. Caus. 14. q. 5.* & videatur *Menchius in arbitrar. quest. casu 310.*

Queritur II. Num testis qui pro ferendo testimonio vero pecuniam vt pretium operis accepit, contra iustitiam delinquit. Resp. Est affirmatiua ex communi, apud *Mench. l. c. Conarr. in reg. Peccatum p. 2. §. 3. n. 2.* quæ aperte colligitur ex *cis. c. Non sanè.* vbi iudicis iusta sententia æquiparatur testimonio testis, & dicitur neutrum eorum venale esse, seu iuste emi posse. Ratio reddi debet, quia opus iustitiæ non potest fieri venale, id est, quod ex iustitia debitum est, non potest pretio constituto vendi; sicuti docuimus *lib. 3. tract. 4. c. 4. n. 9.* atqui cuiuslibet ex iustitia obligatus est, vt iubente Magistratu suo testimonium verum proferat, dummodo iudicè & legitime interrogetur. Contra hanc doctrinam sentire videtur *Siluest. verb. Testis. q. 8. dicto 1.*

& inclinatur *Less. l. 2. de iustis. c. 30. n. 95.* quod iustus à superiore suo testimonium dicere, si legitime non excusatus recuset, aut subterfugiat, peccat contra obedientiam & charitatem proximi, non item contra iustitiam, quam obrem non obligari eum ad restitutionem si ex denegato testimonio damnum alter incurrerit. Sed persisto in communi sententia & rationem affero; quia hoc ipso quod homines in communem societatem coeunt, secundum gentium iura tacito quodam fœdere obligantur inter se, vt iubente multitudine, aut Magistratu multitudinis regimen tenente, testimonium veritatis dicant legitime interrogati, cum alioquin pax, societas & iustitia conseruari non posset. Sed alia ratio est, si quis ad alienum Magistratum trahatur causâ ferendi testimonii, non enim parère compellitur, nisi quandoque ex charitatis obligatione ad proximi iniustum damnum impediendum, prout docet *S. Th. 2. 2. q. 70.*

Corollarium. Si quis pecuniam tanquam pretium acceperit pro ferendo testimonio coram iudice suo, non comparat eius dominium, sed restituere debet danti, vti colligitur ex *cis. c. Non sanè.* & docet ibi *gl. verb. Ille.* sin verò is in cuius gratiam testimonium fertur, donandi animum habuerit, in foro conscientie cessat restituendi obligatio, sed in foro externo turpis censetur & panis obnoxia talis promissio aut donatio, nisi fiat post præstitum testimonii actum, nullâ promissione antecedente, quia hoc casu nullum periculum subest. Deinde certum est, quod pro labore & expensis factis in accedendo, morando, redeundo testibus compensatio debita sit, iuxta *c. Statutum. 11. §. Proferendo. de Rescript. in 6. c. l. Quoniam ij. C. de Testib.*

Quod ad alterum, videlicet testium idoneitatem & fidelitatem attinet, in primis Regula statui debet, quod testis censeatur idoneus ac fide dignus, nisi inhabilitas aut defectus de eo ostendatur. *c. ult. de Præsumpt. & l. 1. ff. de Test.* ex qua habetur, quod idoneus testis est, cui testimonium ferre interdicitum non est, & dicitur talis testis omni

omni exceptione maior *c. 1. de Consanguinitate*. id est, cui nihil obicere potest impedi-
menti, seu qui per nullam exceptionem à tes-
tificando repelli potest, quam obrem be-
ne monet *Panorm. hic n. 2.* edictum de tes-
tibus admittendis permissorium esse, vt
quisque testificari permittendus sit, nisi pro-
hibitus censeatur. Deinde aduertendum,
quòd gl. hinc verb. *Fideles*. & alii plerique
interpretes ita vocabulum hoc intelligunt,
vt concilii mens fuerit à ferendo testimonio
contra fideles, excludere infideles. Sed
hic non videtur esse sensus verborum, nam
Capitulum istud Maricensis Concilii ex-
pressius refertur apud *Gratianum. 4. q. 3. c. Placuit*. vt quique optimi & fideliores in
testimonium adhibeantur, cum enim tes-
tium numerus à iudice restringendus sit, ita
vt plures non recipiantur, quam causæ con-
ditio postulare videatur *l. 1. §. Quanquam. ff. de testib. Menoch. in arbitrar. Cas. 240. n. 4.* idèd æquum est, vt qui vitæ magis pro-
batæ apparent, minusque suspecti sunt, ij
præ aliis eligantur. *argum. l. 2. ff. eodem.*
Alioquin autem doctrina vera est, quòd in-
fideles, & qui à fide Catholica defecerunt,
ad testificandum contra fidelem Catholi-
cum idonei non sint. *c. Non potest. 24. 2. q. 7.* vbi dicitur, quòd infirmari oportet eo-
rum testimonium, qui in fide falsi docen-
tur, nec eisdem credendum, qui veritatis
à se fidem reiecerunt. Ratio ibi redditur,
quia non potest erga homines esse fidelis,
qui Deo extiterit infidus, & Justinianus
Imp. Nouella 45. constituit, vt contra hæ-
reticum tam hæreticus quam Orthodoxus
testimonium proferre queat, sed contra Or-
thodoxum Orthodoxus tantum, non autem
hæreticus.

6 Ad Tertium quòd attinet, idèd requiri
videtur vt testes jejuni sint, quia juramen-
tum præstare debent, hoc autem hone-
stum est non nisi à jejunis edi. *c. Honestum. 16. causa 22. q. 5.* idque propter maiorem
Numinis reuerentiam, consilium tamen
id est, non præceptum, vt gl. hinc monet
verb. *jeiunus*. Quòd si verò olim præcep-
tum fuerat, vt non nisi testes jejuni ad-

mitterentur, id vel particularis regionis
fuit, vel per consuetudinem abrogatum,
Ceterum vt testes sobrii sint, non vino-
lenti aut semi ebrii, ad iudicem pertinet ca-
uere.

CAPITVLVM II.

In nomine.

PARAPHRASIS.

Episcopus aliquis questus erat Gregorio I.
Papæ quòd contra ipsum absentem testes
viles & non idonei recepti fuerint, idèd
respondit Papa, attestations eorum nul-
lius esse momenti oportere, sicuti con-
stat ex Justiniani authentica de Testib.
§. & hic verò. Collat. 7. vbi decernitur,
vt ad receptionem testium altera etiam
pars citetur à iudice aut defensore, quòd
si citata venire nolit, & ineuitabili ne-
cessitate impedita non sit, valere debeant
testimonia, perinde ac si pars præsens
fuisset. Ex hac itaque Constitutione Im-
peratoria constat aduersarium citandum
esse ad testes audiendos, quòd cum in ca-
su isto omissum fuerit, irritum censi de-
bet, quòd contra legem actum est.

SUMMARIVM.

1. Ad testium receptionem, citari debet pars
contra quam hi producuntur, ad viden-
dum sciret eos, & articulos super quibus
producuntur, & ad audienda eorum iura-
menta.
2. Necessaria tamen non est ad hunc finem tri-
na citatio, sed sufficit vna: immò sunt casus
aliqui, in quibus citatio partis ad testium
receptionem necessaria non est.
3. Si Iudex contra citatum absentem, quem
scit legitime impeditum, procedat, acta il-
lius ipso jure nulla sunt: secus si ignorans
procedit, quamuis petente parte & legiti-
mum impedimentum probante, acta rescin-
di debeant.
4. Actus contra legem prohibentem factus, ju-
re casareo irritus est.

NOTA I. Ad testium receptionem pars contra quam producuntur, citari debet, id verò intelligendum 1. vt pars citetur ad videndum testes, & articulos super quibus producuntur, eorūque iuramenta audienda, vt *gloss. hic tradit. verb. audire. gl. in cit. authent. verb. Presentem.* Postea verò depositiones seu dicta testium secreto à iudice coram Notario recipi possunt, vt Innoc. hic docet, & *Panorm. n. 4.* Publicatio autem attestatorum iterum parte presente fieri debet. teste *Felino. hic n. 6. Farinac. de Testib. q. 72. n. 28. Mascard. De Probationibus. Conclus. 682. n. 12.* Et aded quidem citatio partis requiritur ad testium receptionem, vt si attestaciones aliter recipiantur, nullius momenti esse debeant, ad eoque ne iudicium quidem generare aduersus Reum, vt ex communi hic tradit *Felinus. n. 3.* post *Bartol. in l. Maritus. ff. De quaest. contra Decium hic n. 18.* Cuius tamen sententia admitti potest, quòd testis parte non citata indicium faciat, si iudex ex officio procedens testium examen instituat, iuxta *gl. in c. Cum olim. 12. verb. Fratrum. de privileg. 2.* Intelligi debet Notandum de vna, non de trina citatione, si quidem trina citatio ordinariè non usurpatur, nisi in principio litis, & ad audiendam sententiam definitiuam, vt *Felinus hic docet n. 21. & 22.* sunt autem aliqui casus, in quibus nulla necessaria est citatio partis ad testium receptionem, videlicet si periculum in mora sit, vt quia debitor de fuga suspectus est, vt ex communi tradit *Mascard. n. 26. Farin. n. 37.* si testes in partes longinquas discessuri sint, aut mortis periculum ipsis incumbat, & pars aduersaria citari seu interesse non possit, vt hic *Felinus. n. 13. Farinac. n. 38.* & colligitur ex iis, quæ dicta sunt in *c. ult. vt lite non contest.* quòd propter periculum amittendi probationes, testes ad perpetuandam memoriam recipi possint, etiam non contestata lite, igitur multo magis post factam contestationem, item in casibus, quibus contestatio litis necessaria non est, receptio testium fieri potest parte non citata.

NOTA II. Contra citatum in eius absentia procedi non potest, si legitime impeditus sit accedere, rectè autem loquitur Pontifex de ineuitabili ac necessario impedimento, quia non quælibet leuis causa sufficit, vt iudicis aut Magistratus citantis imperium declinetur, vt habetur in *l. 60. ff. de iudicis.* Porro si iudex contra citatum, legitime impeditum v. g. febricitantem, leuiter non leui, aut diuturna quartana, vt in ea negotiis aliis superfedere soleat) processerit, tunc refert, num sciens id egerit, hoc casu acta, v. g. lata sententia ipso iure nulla est, an verò ignorans, tunc valet sententia sed parte petente rescindi debet, si impedimentum ostendat. *c. Cum Bertoldus. 18. De re iudicata.*

NOTA III. Actus gestus contra legem prohibentem, non tantum illicitus, sed etiam irritus est, idque iure Casareo. *l. Non dubium. 5. C. de leg. & videri possunt, quæ diximus lib. 1. tit. 4. c. 16.*

CAPITVLVM III.

Quoniam.

PARAPHRASIS.

Intellexit Gregorius I. de Epiphano Presbytero quædam crimina, ideò mandat Sabino Sardinia defensori, vt tum mulieres cum quibus deliquisse dicitur, tum alios, quos de causa aliquid scire intellexerit, Romam adduci curet, vt per Ecclesiasticam distractionem veritas aperiri possit.

SUMMARIUM.

1. In causa civili recipitur mulieris testimonium in vtroque foro.
2. In causis tamen civilibus arduis non est mulier omni exceptione maior.
3. Neque recipitur illius testimonium in causa feudali.
4. Aut in publicis contractuum instrumentis; nisi rogata à partibus fuerint in illis casibus

casibus, in quibus juri & favori suo ce-
re possunt partes.

5. Ceteris tamen paribus præfertur etiam
in causa civili testimonium viri præ fe-
mina.
6. In causa criminali mulier, nisi criminosa
& infamis sit, potest esse testis in foro Cæ-
sareo, ita tamen ut in causis grauioribus
non sit omni exceptione maior: non ta-
men in foro canonico.
7. Afferuntur tamen plures limitationes, v-
bi etiam in foro canonico mulieris te-
stimonium in causa criminali admitti-
tur.
8. In testamentis requirentibus omnem solen-
nitatem civilem, mulieres testes esse non
possunt.

HOC loco disputari solet, vtrum mulier
testis esse possit. Resp. & Dico I. In cau-
sa civili mulieris testimonium tam in Ca-
nonico quam civili foro recipitur, ita gl.
in c. Testes. §. Hermaphroditus. 4. q. 3. gloss.
in c. Forus. 10. verb. Panam. de verborum si-
gnific. habetur in l. Ex eo. 18. ff. de testibus.
c. 2. §. 6. q. 5. vbi dicitur, quod etiam con-
iuncti vtriusque sexus in testimonium ad-
hibeantur in causa Matrimoniali, quæ ta-
men inter civiles causas grauiissima & val-
de ardua censi debet. Hic verò con-
trouersum est id, vtrum mulier omni ex-
ceptione maior censi debeat in Ciuili
causa, ita vt vnus testimonium efficiat
probationem semiplenam, duarum autem
plenam. affirmat Ioan. Crottus. de Testibus.
p. 4. n. 154. Panorm. in c. Ex insinuatione.
2. n. 6. de Procurat. & est vera sententia, dum-
modò excipiantur causæ valde arduæ seu
magno momenti, vt si agatur de dissolutio-
ne Matrimonii propter impedimentum di-
rimens, tunc enim feminas non censi om-
ni exceptione maiores, ideoque duarum
testimonium non efficere probationem
plenam, vt pluribus relatis docet Farinac.
q. 59. n. 37. Certum enim est, quod in cau-
sis arduis testes magis idonei requirantur,
& quibus nihil prorsus obici possit vitii,
at verò mulieribus obici potest, quod ha-

betur in cit. l. Forus. varium & mutabile
semper femina testimonium producit. Præ-
terea limitari debet assertio I. quod in cau-
sa feudali, mulieris testimonium non ad-
mittitur. lib. 2. feudorum. tit. qui testes sunt
necessarii, ad inuestituram probandam, & do-
cet Felinus. hic n. 2. Farinac. n. 39. ratio-
nem afferens, quia in causa feudali testes
esse debent summæ & integræ opinionis,
vt sumitur ex lib. 2. feud. tit. quot testes ne-
cessarii sint ad probandam feudi ingrati-
tudinem. II. Quod in instrumentis publicis
contractuum, testes mulieres adhiberi non
debeant, vt docet Angelus in §. Testes. n. 1.
Inst. de testam. var. n. 48. quamuis contra-
rium sentiat Bald. in l. Scripturas. n. 4. C.
Qui potiores in pignore. Id tamen certum
est, si constet v. g. ex Notarii relatione, mu-
lieres à contrahentibus vocatas & rogatas
esse, earum testimonium sufficere, quia
testes instrumentarii alioquin non idonei,
per talem rogationem partium idonei fiunt,
(nisi omnino inhabiles sint ad actus publi-
cos) Ratio est, quia partes juri & favori suo
renuntiare possunt teste gl. in authent. de
testibus. §. Et licet. verb. suppliciiis. Sed al-
ia ratio est de testibus testamentariis, quia
solennitates testamentorum ob publicum
fauorem introductæ sunt, quibus partes
renuntiare aut derogare haud possunt, vt
colligitur ex l. Nemo. 25. ff. De legat. v-
bi dicitur, quod testator cauere non pos-
sit, ne leges in testamento suo locum ha-
beant. Videatur Farinac. q. 62. n. 110.
III. Si cætera paria sint, etiam in causa ci-
uili testimonium masculi præfertur testimo-
nio feminae; vt colligitur ex dictis, & tra-
dit Farinac. n. 49. qui bene id sublimitat,
nisi femina testetur pro innocentia Rei,
masculus autem pro actore, juxta ea quæ
diximus in c. Ad nostram. 12. de Probatio-
nibus.

Dico II. Mulier potest esse testis in
causa criminali in foro Cæsareo, non fo-
ro Canonico. Prior pars habetur in l. Ex
eo. 18. ff. de testib. & tradit Panorm. hic n.
2. Angel. cit. §. Testes. Clarus in pract. q. 24.
n. 2. Petrus Duenas. Reg. 315. & alii. Ceterum
si causa

si causa sit valde grauis, vt cum agitur ad pœnam mortis vel mutilationis, mulier non censetur omni exceptione maior, aded vt secundum *Farinacium. q. 59. n. 28.* in capitalibus, & vbi agitur de pœna mortis, tres feminae testes Reum non conuincant, & n. 31. ex *Angelo refert*: licet furtum (aliquius momenti) si agatur ciuilitè, per duas feminas probetur, non tamen si agatur criminaliter. Verumtamen si mulier criminosa aut infamis sit, non admittitur eius testimonium in criminalibus. *l. Qui testamento. 20. §. Eum qui.* vbi *Barolus & alii ff. de testament.* præterquam in crimine hæresis & aliis exceptis, in quorum iudicio etiam testes infames admittuntur, vt dixi in *c. 1. de Conf. s. s.* & docet *Farinac. in praxi q. 41. n. 70.*

7 Altera pars habetur in *c. Mulierem. 17. junct. gl. verb. nec testis. 33. q. 5.* & ex *c. Forus. junct. gl. verb. Non femina. de verborum signific.* & docent DD. suprâ citati. Limitari debet I. in crimine hæresis, læsæ Maiestatis, Simonia & aliis exceptis, mulier in foro Canonico admittitur testis *arg. c. Tanta. 7. de Simonia, & c. In fidei. 5. De hæreticis.* & docent DD. apud *Duenam. n. 3. Farin. n. 10. Mascard. Conclus. 762. n. 21.* Limit. 2. Mulier in Criminalibus admittitur propter defectum, si virorum testimonium haberi nequeat, vt hîc docent *Io. Andreas, Felin. Panorm. Imola. n. 2. Farin. n. 8. & q. 62. n. 50.* vbi generatim docet, quod testis alioquin inhabilis admitti possit propter defectum aliorum, ita tamen vt minor ei fides habeatur, quàm habili. Limit. 3. Si iudex ex officio procedat ad inquisitionem de crimine, tunc mulieris testimonium admittitur, vt in hoc *c.* & ita intelligit *gl. verb. Mulieres. Imola not. 1.* Limit. 4. Si agatur de crimine non criminaliter, sed vel per modum denuntiationis, aut per modum exceptionis, vel ad resartionem damni illati, aut ad electionem reiiciendam, juxta *c. Tam literis. 33. h. tit. junct. gl. verb. Feminis.* & docet *Innoc. & Panorm. hic. n. 1.* Limit. 5. Ad defensionem Rei, seu innocentiam eius ostendendam mulieres admittuntur,

vti docet *Mascard. Conclus. 904. n. 4. Farin. q. 59. n. 15.* Nam ordinariè loquendo testes alioqui minus idonei in causis criminalibus admittuntur ad Rei defensionem, vti docet *Mascard. n. 5. Farin. q. 62. n. 90.*

Porro discrimen inter jus ciuile & Canonicum ad hoc inferuit, vt in terris Ecclesie pleno jure subiectis seruetur jus Canonicum, in terris autem Imperii jus ciuile. Deinde quotiescunque in foro Ecclesiastico agitur contra Reum Ecclesiastico tribunali subiectum, itidem secundum Canones procedatur, ita vt mulier non admittatur in causa criminali, præterquam in limitationum casibus.

Dico III. Mulier non potest esse testis⁸ in testamento. *§. Testes. Instit. De Testam.* & docet *gl. in cit. c. Mulierem. gl. in c. Forus. Gail. l. 2. Obseru. 112. n. 6.* Limitatur 2. Quod in Codicillo & omni vltimâ voluntate propter testamentum mulier testis adhiberi potest, secundum *gl. in l. vlt. C. de codicillis. Angel. in cit. §. Testes. de Testam.* ex quo colligit, cum hodie plerumque in testamentis adhibeatur clausula codicillaris, idè si mulieres testes adhibita sint, licet non valeant, vt testamenta, valere tamen vt Codicillos. Limitatur 2. Quod in testamento inter liberos, & testamento ad pias causas duarum mulierum testimonium sufficiat; secundum *gloss. receptam*, in *authent. Quod sine. C. De testament. Angel. cit. §. Testes. n. 5. Felin. hic. n. 3.* quia in talibus testamentis non considerata solennitate ciuili, jus gentium & naturale obseruatur. Limitatur 3. In testamento militis in expeditione testantis, mulier testis esse potest, vti docet *gloss. in cit. §. Testes. 16. Angel. n. 1. Duenas. reg. 314. n. 1.* Nam vbi remissa est solennitas juris ciuilis, sufficiunt duo testes, etiam feminae, vti docet *glossa recepta*, in *cit. authent. Quod sine.* sed in testamento militis, in militari expeditione testamentum condentis, remissa est juris ciuilis solennitas. *l. 1. ff. de testam. militis.* ergo. Denique quod in terris Ecclesie subiectis, mulier

mulier testis esse possit, docet *Panorm. in cap. Cum esses. n. 3. de testam. Angel. loc. cit. num. 5. Mascard. Conclus. 663. n. 16.* Sed contrarium consuetudine obseruatur, ut mulier nunquam adhibeatur testamento edito in terris Ecclesiæ, cum non omnis solennitas in tali testamento remissa sit, uti apparet *ex cit. cap. Cum esses.* uti id monet *Conarr. n. 14. Crocius de testibus. p. 1. n. 10.*

CAPITVLVM IV.

In omni.

PARAPHRASIS.

Persona principalis denuntians rem sibi notam, potest esse testis, ita ut si unus ipsi adiungatur, fiant duo testes, si duo adiungantur, tres testes, iuxta dictum Domini *Math. 18.* Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum unum adhuc vel duos, ut in ore duorum stet omne verbum.

SUMMARIUM.

1. Si Index vel Prælatus ex officio contra denuntiatum procedat, ad emendandum præcisè delinquentem, imposita salutari quandoque pœnitentiâ, potest denuntiator etiam priuatus esse testis contra negantem denuntiatum.
2. Si tamen procedat ex officio quidem, ad pœnam tamen contra denuntiatum, non potest esse testis priuatus denuntiator in causis grauib. & multum præiudicialibus.
3. Potest tamen esse testis in leuibus criminibus, si aliunde suspectus non sit.

Persona principalis hęc dicitur, quæ crimen commissum defert ad eum, qui cognoscendi & corrigendi jus habet, videlicet Prælatum. Hinc verò difficultas oritur, quia non potest idem simul esse accusator & testis. *c. 1. & 2. 4. 9. 4. & c. Forus. §. In omni. de verborum signific. & nemo in propria (seu quod ipsemet agit) causa testis esse*

potest. *l. Nullus, 10. ff. De testibus. l. Omnia. 10. C. eodem.* Resp. Id verè dici de auctore & accusatore, qui rem in iudicium deductam probare debet, non suâ asseueratione, sed aliorum testimoniis aliisve probationibus. Verùm hic agitur de denuntiatione, qui crimen fratris Prælato aut Iudici denuntiat, ut emendetur, non adstringens se ad probandi onus, uti docui *lib. 3. tit. 3. p. 2. c. 4. n. 9.* Si enim Prælatus aut Iudex ex officio instituto processu denuntiatum, qui crimen negat, convincere velit, tum ipsum denuntiatorem, ut testem, adducere potest, uti ex hoc cap. colligitur. Sed advertendùm est iudicem duobus modis procedere posse post factam sibi criminis denuntiationem. Primò, ad tollendum peccatum duntaxat, quandoque imposita pœnitentiâ salutari, hoc casu leuior probatio sufficit iuxta glossam receptam *in c. Multi. 18. 2. q. 1.* tanta videlicet, ut Prælatus animum suum informare possit, crimen commissum esse, ordinariè tamen ipsius denuntiatoris testimonium merum sufficere non debet, ad convincendum Reum negantem, nam id speciale est, ut unico denuntianti matrimonij impedimentum erodatur, ad amovendum peccatum futurum. *c. Super. 22. h. tit. c. Præterea. 12. De sponsalibus, ubi Panorm. n. 7. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 71. n. 7.* Sed si denuntiator indicia attulerit commissi criminis, vel aliū testem, tunc ipsius quoque denuntiatoris attestatio computabitur ad fidem faciendam. Imò verò etiam ipsemet iudex vel Prælatus, si non procedat ad vindictam, sed ad pœnam salutarem seu medicinalem super crimine commissio ex propriâ notitiâ & priuata testari potest, uti hęc docet *Ioan. Andr. n. 2. & sequitur Panormitanus n. 4.* quòd in denuntiatione charitatiua seu canonica idem esse possit iudex, auctor & testis. Secundò, Iudex ex officio instituere potest processum iudicalem contra denuntiatum ad pœnam, v.g. depositionem ab officio & beneficio, & hoc casu distinguendum est inter crimina grauia, & leuia delicta, & iterum inter denuntiatorem priuatum & publicum officialem.

Dico itaque I. In criminibus grauib; seu causis multum præiudicialibus, denunciator non potest esse testis, licet iudex ex officio procedat, seu per meram inquisitionem. Ita *Panorm. hic n. 4. Ioan. Campegius de testib. Reg. 103. Farin. q. 60. n. 75.* Ratio est, quia denunciator se ipsum ingerit, & idè aliquo modo suspectus est, & non satis idoneus testis in causa graui & valde præiudicante; hæc tamen ratio cessat, si Officialis ad obseruanda & denuncianda crimina deputatus denuntiet, huic maior fides habetur, ita ut si cum iuramento testificetur vera esse quæ denuntiat, & reddat causam scientiæ (v. g. quod oculis vidit) hoc casu, ut ait *Clarus in pract. quest. 7. num. 3.* fidem faciat, prout alius testis, qui super delicto ipso deponeret, & potest super eius dicto formari inquisitio, quæ Reo transmittitur ut compareat, & super crimine respondeat; cuiusmodi tamen inquisitio formari non posset super merâ assertionem denunciatoris priuati, ut *Clarus ibidem* testatur. Ratio autem, cur Officiali magis credatur, ea reddi debet, quia facilius ministro creditur in ijs ad quæ deputatus est, v. g. si dicat: se citasse, aliquid egisse ex iudicis mandato, sicuti ex communi docet *Bart. in l. Divus. num. 8. ff. De Custod. Reorum. Panorm. in cap. Præerea. de Testibus Cogend. num. 7. Clarus loco citato.* ubi specialiter loquitur de deputatis Custodibus agrorum, vinearum, quod eis credatur contra denuntiatum negatam. Vide tamen *l. Ea. 7. & DD. ibidem. C. De accusat.*

3 Dico II. In criminibus leuibus si denunciator aliter suspectus non sit, sed bonâ intentione denuntiasse videatur, adhiberi potest, ut testis, ita ut cum uno alio aut pluribus testibus probet delictum, & exinde sententia cõdemnatoria ferri possit. Ita *Panorm. hic n. 4. & cit. n. 7. Bart. cit. n. 8. Campegius loc. cit. Fallentia. 5.* Idque maximè locum habet, si loquamur de publico denunciatore, de quo etiam DD. loquuntur; sed videtur etiam id dici posse de priuato, quod & is à iudice produci possit in testem unà cum alijs, uti expressè hîc docet *Panorm. n. 4.* Si principalis persona seu denuntians crimen, non

sit reportatura commodum ullum, nec aliâ affectione notetur, in numero testium computari posse; dummodò non agatur de graui præiudicio, quia in causis leuibus tam exactæ probationes requiri non solent, quavis contrarium doceat *Farinac. quest. 60. n. 75.* id tamen fateri debemus, quod denunciatori minor fides habeatur quàm alteri testi, tum quia ipse se ingerit, ut pono, tum quia ipse reprehensionem reportaret, si, quod crimen denuntiauit, postea commissum negaret. Igitur ex hoc cap. Vni cum Notandum sumitur, denuntiatore etiam priuatus in testem adhiberi potest à Prælato, si procedat secundum charitativam denuntiationem, & quandoque etiam si judicialiter per inquisitionem meram procedat, saltem in causis non grauib; seu non multum præiudicialibus.

CAPITVLVM V.

Quotiens

PARAPHRASIS.

Si matrimonium accusetur propter impedimentum consanguinitatis, ut separatio fiat, consanguinitas probari debet per duos aut tres testes ex eadem consanguinitate, sed in defectum consanguineorũ adhibendi sunt senes ex eodem loco meliores seu probatiores, & debent testes deponere cum duplici iuramento, videlicet, quod non priuato odio, nec amicitia, nec ob aliquod commodum, quod habuerint, vel habeant, vel habituri sint, ad ita testificandum adducantur, & quod ab ipsis asseritur, à maioribus suis, ut vera se accepisse & credere ita esse.

SUMMARIUM.

1. Testes de credulitate quamuis non in omnibus causis recipiantur, admittuntur tamen ad probandam consanguinitatem.
2. Qui ex testimonio dato commodum, vel non dato damnum patitur, idoneus testis non est.

Pro-

Pro intellectu adverte, quod testes alij sint de scientia & sensu, qui videlicet deponunt se scire rem gestam esse, eo quod proprio visu, auditu &c. deprehenderit, & talium testimonium ordinariè requiritur ad facti probationem secundum gloss. in l. 2. §. *Idem Labeo. verb. Audierint. ff. De aqua pluvia.* Alij autem sunt testes de credulitate, qui jurati deponunt se credere ita esse, quia videlicet à fide dignis audiverint, & tales testes multum à proprietate testimonium deficiunt, quare non in omnibus, sed tantum in quibusdam causis recipiuntur, uti videre est apud *Farinac. g. 64. num. 69.* Inter has autem causas recensetur consanguinitas, ad quam probandam interdum etiam testes de auditu & credulitate admittuntur, dummodo conditiones adsint, quæ hoc cap. insinuantur, & clariùs exprimuntur in *cap. Licet. 47. h. tit. ubi proprius explicandi locus est.*

Nota, testis, qui ex testimonio ferendo commodum, aut si non testificetur, damnum reportaturus est, idoneus censeri non debet, quia dicitur testari in propria causa, iuxta l. 1. ff. *Quando appellandum.* ubi dicitur: palam est, eam esse propriam causam, cuius emolumentum aut damnum ad aliquem suo nomine pertinet. Videatur *c. 3. caus. 4. q. 3.*

CAPITVLVM VI.

Insuper.

PARAPHRASIS.

Capitulares ipsèque Prælatus in causa Ecclesiæ suæ testes esse possunt, excepto, si unus eorum aut plures constituti sint, qui procuratorio nomine causam in iudicio agant aut promoueant, horum enim testimonia non admittuntur.

SUMMARIUM.

1. Singuli de vniuersitate possunt testes adhiberi in causis sua vniuersitatis.
2. Saltem civilibus & non arduis.
3. Nisi vniuersitas illa valde parua esset.
4. Et nisi estimabilis utilitas propria coniu-

Et esset cum causa communitatis.

5. Neque tamen hi testes pro sua communitate deponentes, sunt omni exceptione maiores.
6. Legatarij quod testes testamentarij esse possint, speciali favore concessum est.
7. Non potest quis in eadem causa esse Procurator & Testis.

Nota I. Prælatus Capitularis aut Conventualis in causa Ecclesiæ suæ testis esse potest, ut hic, & in *cap. Nuntius. 12. hoc tit. & cap. 1. Causa. 14. q. 4. iuncta gloss. verb. Stephani.* & debet id extendi ad causam cuiusvis vniuersitatis, aut Collegij, quod singuli qui sunt eius vniuersitatis, testes adhiberi queant, secundum *Ioan. Andream in cit. cap. Cum Nuntius. Panorm. hinc n. 2. Felinum. 1. Menoch. in Arbitrar. Casu 106.* Ratio reddi debet, quia talis non fert testimonium in causa propria, cum aliud sit jus vniuersitatis, & aliud jus singulorum, l. *Sed si. 10. §. Qui manumittitur. ff. De in ius vocando.* Confirmatur. Propria causa non esse censetur, nisi quis suo nomine eam agere possit, l. 1. §. *In propria. ff. Quando appellandum.* Sed aliquis è communitate non potest causam communitatis suo nomine agere, ut docent *DD. in cap. Edoceri. 21. de Rescript. c. Causam. 9. de iudicijs. & Clement. 3. de Procuratoribus.* ergo causa vniuersitatis non est propria singulorum.

Nec refert quod commoda vniuersitatis quodammodo etiam participant singuli, istud enim interesse, seu commodi participatio, non censetur esse tanta, ut in causis civilibus præsertim non arduis testimonium repelli possit, quia verisimile non est, quod propter commodum vniuersitatis aliquis, maxime si Religiosus sit aut Clericus bonæ vitæ, peierare velit, cum negligi plerumque soleant, quæ communiter possidentur. l. 2. *C. Quando & quibus quarta pars. &c.* Videatur *Felin. hinc n. 2.* Porro in causa criminali membrum communitatis non potest testis adduci in favore communitatis. *c. 1. 14. q. 2.* propterea quod causa ardua & valde præiudicialis sit in qua proinde exactissimæ probationes ordinariè requiruntur, idè èq; tales testes quibus

- bus nihil opponi possit, quare simili ratione dicendum videtur, si causa civilis valde ardua sit, tunc testes ex eodem collegio productos contra extraneum repellendos esse. Contra extraneum, a quo; at verò si universitas v. g. vel Capitulum ageret contra Canonicum aut Prælatum suum, tunc posset alius Canonicus produci in testem, etiam in causa criminali & civili ardua, uti docet glossa communiter recepta in *cit. c. 1. verb. Stephani. Panormit. & Felin. hic. n. 4. Farinac. quest. 60. n. 56.* Nisi sit parva universitas seu paucis membris constans, tunc enim qui à communitate ut testis producitur, censetur esse domesticus ac familiaris, qui repelli debet à testimonio in tali causa, iuxta *cit. c. 1. & l. Etiam. 3. Cod. De Testib. l. Testes. 24. ff. cod. & docent DD. cc. Ioan. Andreas cit. cap. Cùm Nuntius n. 4.*
4. Præterea si causa Universitatis cum propria alicuius utilitate iuncta sit, tunc is prohibetur esse testis, v. g. Prælatus, si agatur de redditibus pertinentibus ad mensam suam; uti docet *Ioan. Andr. cit. n. 4. Panorm. hic n. 6. Felin. n. 9.* ex quo inferunt, si controversia sit circa pascua aut silvas cæduas, in quibus singuli oppidani jus obtinent, quòd idonei testes non sint. Præterea magis comuniter receptum est, quòd testes ex corpore communitatis in causa eiusdem producti, non sint omni exceptione maiores, ideòque duo non sufficiant ad plenam probationem, uti docet *Conarr. in pract. q. c. 18. num. 4. Mascard. Conclus. 1414. n. 15. Farinac. num. 536. contra Panorm. hic n. 2.* quia negari non potest, inesse aliquam affectionem, si quis pro iure patriæ aut universitatis, cuius pars est, testari debeat; quamobrem, si ex adversa parte producti testes de contrario deponant, his maior fides habetur, uti docet *hic Panorm. num. 2. Felin. n. 3.* nisi agatur de gestis per ipsam universitatem aut Collegium; hæc enim magis nôsse censentur ij, qui sunt è Collegio, ideòque etiam testes magis idonei reputantur, quàm alij iuxta *c. cit. & notat Felinus cit. n. 3. Farin. n. 539.*
6. Quæritur, num Legatarius testis adhi-

beri possit in causa testamenti, videtur negandum, quia commodum inde reportat, quandoquidem legatum ex valore testamenti pendet, si sit ad causas profanas, *l. Eam. 4. Cod. De fideicommissis.* Sed contrarium est expressum in *§. Legatarius, Institut. de testamentis,* ubi Ratio datur, quia Legatarij non juris successores sunt, id est, testamentum principaliter fit propter jus succedendi in hæreditate, licet secundariò annectantur legata. Sed contra hanc rationem est, quia testis repelli debet, et si commodum tantum indirectè & per consequentiam percipiat, dummodò id æstimabile & certum sit. *arg. cit. §. In propria.* Videatur *Farinac. quest. 60. num. 10. Resp. cum Minsingero in cit. §. id legatariis speciali favore concessum esse,* ut testes testamentarij esse possint, cum enim rogati esse debeant, nemo facilè adduceretur ad testimonij actum, si ex testamento nihil consequi posset, verumtamen ipsi hæredi concessum non est, ut testis esse queat, *cit. l. qui testamento,* propterea quòd testamentum jus hæredis principaliter & substantialiter contineat, quandoquidem testamentum sine hæredis institutione non consistit.

7. Nota II. Procurator, in ea causa, quam agit in iudicio, testis esse non potest. Ratio est, quia quis naturà propensus est ad consequendum id cuius causa agere cæpit, quare idem locum habet in Advocato, tutore, administratore, & negotiorum gestore, *l. ult. ff. De testib. iuncta gl. & notat Farinac. quest. 60. n. 158. & 201.* quòd nec finito officio testis esse possit, si commodum eius aut honor inde dependeat, multo verò minùs, potest esse iudex. His adde, si Prælatus pro iuribus Ecclesiæ suo nomine procuratorem instituit, quòd in ea causa testis esse nequeat, uti docet *Bartolus, in cit. l. Qui testam. num. 5. Panorm. hic n. 5.* quandoquidem in tali causa censetur esse actor principalis. Secus autem est, si Prælatus cum Conventu procuratorem constituit, teste *Bart. loc. cit. Felin. hic n. 9. Mascard. Conclus. 3. n. 3.* Secus item est, si Prælatus solus constituit procuratorem, qui nomine Ecclesiæ agat, teste

teste Mascardon. 7. Farinac. q. 60. n. 165. & sumitur ex Baldo in l. Vn. C. Ne quis in sua causa. num. 3. Si Episcopus Syndicum constituat, qui nomine Ecclesie agat, quod ipsemet iudex esse possit, quia ista non est causa personae sed Ecclesie, & utilitas principaliter respicit Ecclesiam, si ergo Episcopus in tali casu potest esse iudex, multo magis testis, nam iudex facilius repellitur, quam testis, cap. Cum R. 35. De officio delegati. verb. Cum sint. Verum tamen si Prælatus seu Rector Ecclesie Collegium non habeat, non potest esse testis in causa Ecclesie, si Procuratorem ipsemet constituit, quia censetur esse Actor principalis, secus est si Procurator generalis ab Episcopo constitutus fuerit, aut si ipsemet Episcopus, tanquam generalis administrator causam agat, ut docet Panorm. n. 5. Farinac. n. 371.

CAPITVLVM VII.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Contra Adamum Presbyterum Rectorem Ecclesie Clunodensis, quam canonicè adeptus, amplius triginta annis possederat, miles quidam literas Papales impetrauit, dissimulato quòd esset laicus. In literis ijs destinatis ad iudices delegatos continebatur, si dictus Presbyter filius esset illius, qui proximè in Ecclesia ministravit, aut si publicè fornicariam seu concubinam haberet, ipsum ab Ecclesia illa amoverent; Postea miles per Procuratorem lite motà, quosdam laicos infames, ut testes produxit, sed quamvis contra ipsos Presbyter exceperit, quòd alij eorum manifesti latrones & raptores essent, alij autem jam ante de periurio in iudicio commisso convicti, idque probare vellet Presbyter, tamen iudices testes receperunt, & non obstante appellatione, Presbytero, dum absens esset, Ecclesiam abjudicârunt: quamobrem mandat Eugenius III. alijs iudicibus, si hæc vera esse cognouerint, ut priorum iudicium

rescissâ sententiâ non obstantibus literis confirmationis, si interea à Pontifice impetrata fuerint, eidem Ecclesiam restituant, & adversariis silentium imponant. Sin autem res aliter se habeat, tunc causam audiant, & iudicè definiant, quòd si dictus Presbyter testes pro causa sua adducere velit, eos recipiant, moneantque, ut coram ipsis veritatem edicant.

S Y M M A R I V M.

1. Laicus contra Clericum criminofum si per viam accusationis agere velit, non admittitur; nisi suam aut suorum iniuriam prosequatur, aut nisi crimina excepta sint.
2. Si tamen per viam denuntiationis procedat, & quidem ad emendandum præcisè criminofum, admittitur.
3. Secus, si agit quidem per viam denuntiationis, ad amouendum tamen Beneficiatum propter bonum publicum.
4. Nisi specialiter eius interesset, bona & iura Ecclesie conseruare.
5. Aut nisi ageret non tam ad prosequendam denuntiationem, quam ad indicia Prælate præbenda, vi quorum ex officio deinde procedat.
6. In Clericis publicis concubinarijs puniendis hodie seruanda est constitutio Tridentini.
7. Periurus nec in criminibus exceptis idoneus testis est.
8. Quamuis opposita exceptio contra testes eorum receptionem ordinariè non impediatur, potest tamen etiam contra iudicem, oppositam exceptionem non statim admittentem quando tenetur, appellari.

Nota I. Querela Laici contra Clericum tanquam criminofum difficilè recipitur. Ita sumitur ex textu, quando dicitur, quòd miles impetrans rescriptum, dissimulârît se laicum esse, quòd tamen distinguendum videtur; si enim de crimine agitur criminaliter, seu, per modum accusationis, tum laicus non admittitur ad accusandum, cap. De catero. 14. h. t. c. Cum P. 10. de Accusationibus, & cap. Laicos. 5. Caus. 2. quæst. 7. quia eiusdem non sunt conuersationis, & oppidò quidam eis infesti existunt,

k k

Exci-

- Excipitur tamen I. Si laicus suam suorumque iniuriam prosequitur, admittitur ad accusandum Clericum *c. 2. Caus. 4. q. 6.* ubi generalis Regula traditur, quibus accusatio denegatur in causis propriis vel conceditur. Excipitur 2. Nisi sit crimen exceptum, ut hæresis, læsæ Maiestatis, Simonia &c. *c. Tanta. 7. De simonia, & docet gl. in cit. c. Cum P. verb. Laicus.*
- 2 Quod si verò agitur de crimine per modum denuntiationis; tunc vel in commodum peccatoris tantum agitur, ut peccatum eius per Prælatum paternè emendetur, quod privatà monitione corrigi non potuit, hoc casu quilibet Christianus admittitur, iuxta præceptum Domini, *Matth. 18.* & colligitur ex *c. Nonis. 13. De iudiciis*; vel instituitur propter bonum publicum, Ecclesiæ, ut damnus eius avertatur per priuationem seu amotionem ministri, qui bona Ecclesiæ dilapidat, aut aliàs noxius est per vitam improbã; hanc vocare possumus canonicam denuntiationem, uti dixi *lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 4.* De qua statui hic debet Regula negatiua, quod laici nisi eorum peculiariter interfit, non admittantur ad prosequendam denuntiationem contra Clericum, ut ab officio vel beneficio deponatur. Ita *Panor. hic n. 6. Felin. n. 6. Clarus in pract. q. 14. n. 21. arg. c. De catero. 14. h. 1.* Si quidem negari non potest, quin actio ista ad accusationis naturam multum accedat.
- 4 Dixi autem 1. nisi peculiariter interfit, ut excipiatur patronus, cuius interest bona & jura Ecclesiæ conferuari, ipsam quoque Ecclesiam bene administrari, quam obrem ministrum seu beneficiarium aut Prælatum, qui malè versatur, aut improbè se gerit, Episcopo denunciare potest, ut causã cognita priuatur seu amoveatur. *c. Filiis. 31. caus. 16. q. 7. & tradit gl. inc. Constitutum. 60. Eadem caus. q. 1.* Dein quilibet Parochianus ad talem denuntiationem admitti debet, quia eius etiam interest, ut bonum Ecclesiæ Rectorem habeant, à quo sacra, uti par est, tractentur, teste *gl. in cit. c. Constitutum. verb. Conditorib. gl. in cit. c. Filiis. verb. Propinquis. Claro. q. 7. n. 9.*
- 5 Dixi 2. ad prosequendam denuntiationem; At verò si laicus crimen Clerici merè denuntiet Prælato, ostensis indicis, poterit is ex of-

ficio seu per inquisitionem procedere. Nam hoc casu non multum interesse videtur, à quibus personis Prælatus seu Iudex indicia nactus sit, Clericis an laicis, dumòdò ea spectata qualitate personarum aliisque circumstantiis sufficientia sint. Non dico, quòd laici privati denuntiatoris mera depositio mouere possit Prælatum seu Iudicem Ecclesiasticum ad specialem processum contra Clericum, id enim de nullo priuato denuntiatore dici potest, saltem in grauibus causis, uti videre est apud *Farinac. in pract. de testibus. q. 52. n. 172.* Sed quòd indicia criminis scandalosi aut perniciosi, quæ affert & ostendit denuntiator, iudicem mouere possint.

Nota II. Clericus publicus concubinariolimus olim erat priuandus seu deponendus ab officio, nã erat ab officio suspensus ipso jure, nec licebat fidelibus eius Missam audire. *c. Nullus. 5. c. Prater. 6. distinct. 32. c. Vestra. 7. De cohabitatione Clericorum.* Nunc autè sublata per consuetudinè hac censurã, seruari debet constitutio *Trid. sess. 24. c. 14. de Reform.*

Nota III. Personæ infames in causis criminalibus repelluntur à testimonio, de hoc infra in *c. Testimonium. 54. h. 11.*

Nota IV. Perjurus non est idoneus testis. *c. Quicumq. 18. Caus. 6. q. 1.* Sicuti enim semel peierauit, ita iterum peieraturum suspicio est, ait *gl. arg. c. Non potest. 24. Caus. 2. q. 7. & Reg. 8. juris in 6.* Semel malus, semper præsumitur esse malus; idque adeò verum esse, testatur *gl. c. Per tuas. 32. verb. Furti. Panorm. ibid. n. 12. de simonia. Mascard. Conclus. 461. n. 39.* ut & in casibus exceptis, v.g. criminum exceptorum, in quibus alioqui testes minus idonei admittuntur, periuri reijci debent.

Nota V. Si iudex oppositam exceptionem contra personas testium non statim admittat, cum admittere & examinare deberet, rectè à grauamine isto appellatur, adeò ut quæ post interpositam appellationem acta sunt, cassari debeant, id est, cassà declarari. Ordinariè tamen opposita exceptio contra testes non impedit eorum receptionem, cum questio de habilitate testium in finem litis reuocari possit. Ita sumitur ex *Authent. Si testis. c. De testibus, ubi Bartolus hic in princip. Io. And. hic n. 1. Felin. n. 12.* quia fortasse apparebit in pro-

progressu, quod iudex sine testium eorum, quibus defectus obijcitur depositionibus, ex aliis probationibus sententiam ferre possit, ut supervacaneum sit, de eorum habilitate disputare.

Sed limitari debet, nisi sit præsumptio contra testes, vel si defectus notorius sit, vel in continenti probari queat, ut Bartolus docet & Farinac. q. 62. n. 357. 362. & est casus nostri capituli.

Denique si obijciatur excommunicatio, ob quam testis vitandus sit, ut notat Farin. n. 361.

10 Not. VI. Si iudicis sententia vel contractus à Superiore confirmetur in formâ cōmuni seu ordinariâ, & postea reperiat, sententiam aut contractum irritum fuisse, tunc etiam confirmatio nullius roboris erit, uti etiam colligitur ex c. Bona. de confirm. utili & o. Quia. juncta gl. verb. Communi. de concessione Præbende. Ratio est, quia quod non subsistit, non solet confirmari, cum confirmatio supponat esse, & sententia aut cōtractus est fundamentum confirmationis, quare si sententia nulla sit, aut contractus irritus, etiam confirmatio irrita erit.

CAPITVLVM VIII.

Si qui.

PARAPHRASIS.

Si testes valetudinarij sint, aut senes, aut infirmi, aut paupertate pressi, ut ad iudicem accedere non possint, tunc iudex personas discretas ac peritas mittere debet ad illorum domos, ut examinentur.

SUMMARIVM.

1. Productio testium coram iudice fieri debet; si tamen sint persona egregia, vel alie rationabiliter impedita, v. g. valetudine, ad eas examinandas mitti debent persona idonea & discreta.
 2. Nomine egregiarum personarum qui comprehendantur.
 3. In criminalibus causis, & civilibus arduis egregia persona in presentia iudicis testari debent.
 4. Alias illa fruuntur suo privilegio, neque ei renuntiare possunt.
- 1 Not. vn. Iudex Notarium aliâsve personas idoneas mittere debet ad domum

testium, qui commodè venire non possunt ad iudicii locum.

Pro intellectu adverte; non excipi omnes valetudinarios, senes aut pauperes, sed eos tantum qui iudicis presentie se facillè nō possunt sistere propter virium imbecillitatē, aut quia cum honestæ personæ sint, non sine dedecore suo venire possunt, quare propter similitudinē rationis, hæc constitutio ad omnes personas rationabiliter impeditas extendi debet teste Bartolo in auth. *Apud eloquentissimū. C. de fide instrū. n. 11. Io. Andr. hic. n. 1.*

Consentit lex 15. ff. de rebus creditis, ad personas egregias, eosq; qui valetudine impediuntur, domū mitti oportet ad jurandū. Nominē personarū egregiarum cōprehenduntur Episcopi, auth. *sed iudex, de Episcopis.* personæ illustres teste Felino hic. n. 6. & Doctores iuxta l. Medicos. 5. C. de Professorib. lib. 10. & docet gl. in cit. l. Ad personas. 5. Milites quoque, seu Equestres persone, uti docet *Iason in eadem lege. n. 1. Farinac. q. 77. n. 223.*

Adverte 2. quod dictum est de personis egregiis, locum non habet in causis criminalibus aut civilibus arduis v. g. matrimonialibus, cum enim testimonia in presentia iudicis recipienda sint, cit. auth. *Apud eloquentissimū. c. 2. juncta gl. verb. Iure prohib. de iudicis in 6. magis decet, ut personæ etiam egregiæ ad iudicem vadant, quàm ut iudex ad ipsas, uti ex communi hic Abbas n. 1. Felinus n. 2.* Quod verò attinet ad infirmos & aliter impeditos, ad hos iudex accedere debet pro testimoniis recipendis, aut si eum non deceat ob dignitatem, tum demum Notarium, aliâsve peritos mittere debet, uti Farinacius docet, cit. q. 77. n. 276.

Quæres num personæ egregiæ privilegio huic renuntiare possint, & iudici se sistere ad testificandum. Resp. absolutè non possunt renuntiare, ita ut privilegium amittant; cum non personæ, sed dignitati concessum sit, ut notavit gl. in cit. l. Ad personas. Potest tamen persona egregia semel, iterum, aut sæpius nō tanquam ad id teneatur, sed ex liberâ voluntate se sistere iudici, cum id prohibitum non reperiat, quomodo Clericis prohibitum est, ne coram iudice seculari se sistant.

k k 2

CAP,

CAPITVLVM IX.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Aliqui pecuniã corrupti testimonium dixerunt de impedimẽto consanguinitatis inter coniuges, ob quam causam separatio seu divorcium factum est, postea illi testes priuatim confessi sunt, se corruptos falsũ dixisse, hoc intellectu respondit Alexand. III. si vir aut mulier, aut vterque ad alias nuptias transiuit, testibus pœnitẽtiam injungendam de periurio vno vel pluribus, quibus causam dederunt. Sin autem neuter aliud matrimonium cõtraxit, tunc diligenter examinadum, cum quibus & coram quibus corruptio testiũ intercesserit, quod si in hoc examine cognoscatur de testium corruptione, tunc sentẽtia divorcij revocanda est, quandoquidem testium talium periurorum testimonia legitima non sunt.

SUMMARIVM.

1. Judicialiter confesso, se falsum in iudicio dixisse, non creditur in preiudicium partis, nec sententia ex tali testimonio lata retractatur.
2. Creditur tamen ei in proprium suũ preiudicium, saltem ad pœnitentiam imponendam.
3. Et in casu, quo agitur de Reo torquendo, aut damnando ob crimen commissum.
4. Qui suo facto alteri causam seu occasionem prabet peccati, eiusdem in specie peccati reus est (saltem in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ) ad quam permonit.
5. Testimonia eorum qui conuicti sunt accepisse pecuniã pro testimonio ferendo, reprobantur, & sententia ex ipsis lata retractanda est.

Not. I. Si quis judicialiter confitetur se falsum in iudicio testimonium dixisse, non creditur ei in preiudicium partis, id eõq; sententia ex tali testimonio lata nõ retractatur. Ita Bart. in l. Eos. n. 4. ad l. Corneliã de falsis. Abbas hic & Felin. n. 1. & sumitur ex c. Tuas. 10. de probat. l. Generaliter. 13. C. De non numerata pecuniã. Ratio dari debet, tum quia a cõfessionis judicialis firmior est, tum quia etiã parti jus acquisitum est, ergo non debet

superari, ac tolli à contrariã confessione extraiudiciali.

Declaratur & limitatur 1. Quod creditur testi in suum preiudicium saltem in ordine ad pœnitentiam imponendam, uti colligitur ex hoc cap. & notat gl. verb. Periuri, imò etiam sufficeret hæc confessio ad processum instituendum contra confessum extraiudicialiter, licet non sufficiat ad condemnationem, sicuti confessio judicialis.

2. In casu quo agitur de reo torquendo aut damnando ob crimen commissum propter testimonia aut denuntiationes sociorum, si v. g. veneficus proximus supplicio aut post sumptam Eucharistiam, ut sacrum viaticum, revocet denuntiationẽ suam, cõtestans coram Deo, se falsò affinxisse crimen Titio, hoc casu negari non potest, quin prior judicialis denuntiatio aut testimonium multum enervatur, sicuti docui lib. 3. Th. mor. Tract. 6. cap. 5. num. 21. & 22. Imò denuntiationem seu testimonium, si merum & nõ adminiculatum sit, penitus infirmari ac tolli docet Mascardus concl. 1130. n. 14. Farinacius in praxi. quest. 46. n. 68. Propterea quod revocatio eo tempore, usq; circumstantiis facta adminiculis veritatis non careat, & idẽo priorem non adminiculatam assertionem vincere debeat.

Not. II. Qui suo facto alteri causam seu occasionem prabet peccandi, is particeps fit peccati, ad eõ ut eadem peccati specie peccare censetur (saltem in ordine ad pœnitentiæ Sacramentum) ad quam speciem peccati permonit, quamvis id non egerit ex intentione directã, & debet quoque explicare quot numero personis occasionem peccandi præbuerit, uti habetur in textu, & dixi lib. 2. Th. mor. Tract. 3. cap. ult. n. 6.

Not. III. Si testes conuicti fuerint pecuniã accepisse pro testimonio ferendo, tum eorum testimonia reprobantur, ad eõ ut & sententia ex ipsis lata retractanda sit, partim quia præsumptio contra testes est, quod falsum deposuerint, partim quia sunt periuri, quandoquidem delato ipsis iuramento inter alia jurare debuerant, quod nullo dato aut promisso sibi pretio ad testimonium dicendum veniant.

CAP.

CAPITULUM X.

Veniens.

PARAPHRASIS.

Lucio presbytero obiectum fuit coram iudice, quod ad parochiam suam canonicum non habuerit ingressum, eò quod pro præsentatione parochianis singulis promiserit 5. vini barillos se remissurum, quos ipsi parochialium proventuum nomine parochia dare debebant; cum autem coram Ordinario ista causa tractaretur, duo testes jurati deposuerunt contra Lucium, vnus autem testatus est pactum tale Simoniacum secum initum fuisse, tunc iudex considerans alterum ex his testibus esse criminis socium, ideòque fidem non mereri, alterius verò testimonium cum vnicum sit, non sufficere ad condemnationem, dictum Lucium absoluit, eamque sententiam Alexander III. comprobavit & confirmat.

SUMMARIUM

1. Parochiani admittuntur ad accusandum & testificandum contra Ecclesie sue Rectorem, si agatur de crimine ad eius amotionem.
2. Simonia committitur & dando aliquid pro beneficio, & remittendo debitum ex pacto & promissione.
3. Per vitium Simonia presentati ad beneficium institutio Canonica non est, neque eius ingressus.
4. In causa criminali contra Clericum, licet non agatur criminaliter, sed canonicè, vel ut alii loquuntur, civiliter, ad eius amotionem, requiritur plena probatio. Neque auctori plus, quam semiprobandi potest deferri iuramentum in supplementum.
5. Testis criminis neque in exceptis criminibus est integra fidei, & omni exceptione maior.
6. Vnius testis omnino inhabilis & repellendi defectus non suppletur ex alterius super abundanti fide.
7. In causis tamen civilibus testis non integri vel deficientis inhabilitas suppletur ex magna habilitate seu fide alterius, ut etiam ex numero, ut quatuor vel quinque talis plenam probationem faciant.

8. Secus est in criminalibus & civilibus valde arduis in ordine ad condemnationem, cuius contrarium quoad numerum verius est.

Not. I. Parochiani admittuntur ad accusandum contra Ecclesie suæ rectorem, si agatur de crimine ad eius amotionem. hâc de re dixi supra c. *Ex parte. hocrit.* & notat *Abbas hîc not. 1.* quanquam ex isto capitulo doctrina hæc colligi generatim non potest, cum hîc sermo sit de crimine Simonia, quod inter excepta numeratur.

Not. II. Simonia committitur non tantum dando aliquid pretio æstimabile pro beneficii assecutione, sed etiam debitum remittendo, si id fiat ex pacto seu promissione, nam obligationem certam alicui remittere, est dare, secundum *gl. hîc. verb. remittere.* & habetur in *regula 115. ff. Si quis obligatione liberatus sit potest videri cepisse.*

Not. III. Qui per vitium Simonia presentatus est ad beneficium, quia patrono aliquid dedit, promisit aut remisit, eius institutio Canonica non est, consequenter etiam ingressus seu possessionis acceptio vitiosa, quare talis à beneficio amouendus est, nisi dispensationem à Papâ impetret, quâ de re dixi *lib. 4. Th. mor. Tract. 10. cap. vlt. §. 7.* idque haud dubiè verum est, si Simonia crimen ex vtraque parte completum est, ut in casu huius capituli.

Not. IV. In causâ criminali contra Clericum licet non agatur criminaliter sed Canonice, seu ut alii aiunt, civiliter ad eius remotionem seu beneficii priuationem requiritur probatio plena. ita *Abbas & Felinus. hîc n. 4.* vbi etiam monent, quod in tali casu auctori tamen plus quam semiplenè probauerit, non possit deferri iuramentum in supplementum.

Obicitur, quod Simonia crimen ex numero exceptorū sit, & ideò testes etiam infames ac criminis participes admittendi sint, iuxta c. *Si quis Papa. juncta gl. verb. pratulerit.* & docent *DD. in l. Quoniam. 11. C. De testibus.* Omisâ solutione glossæ, respondeo regulam illam utroque jure receptam, quod socius criminis non sit testis idoneus, non ideò hîc allegari, quasi etiam in exceptis criminibus.

minibus tales testes penitus repellendi sint, id enim falsum esse docent *DD. in c. 1. de Confessis. Abbas in c. Cum P. n. 12. de accus. Felinus. hic. n. 5.* sed idem allegarunt, quia testis criminofus ne quidem in exceptis criminibus integræ fidei est, & omni exceptione maior, quamobrem si vnus producat testis idoneus seu integer, alter verò non integer, sed criminofus seu socius criminis non fiet probatio plena, ea enim fieri debet per duos testes integros, seu omni exceptione maiores, maximè in causis eriminalibus, & omnibus arduis, seu quæ magni sunt præiudicii.

6 Quæres: quòd si vnus testium sit dignissimus fide, suppletne alterius non integri testis defectum, ita vt vtriusque testimonium plenam probationem efficiat. *R. & Dico I.* si vnus testis omnino inhabilis ac repellendus sit v. g. socius criminis non excepti, aut infamis iuris infamia, tunc eius defectus non suppletur ex alterius superabundante fide, vt ex communi *Farinacius* docet *q. 62. n. 347.* quod imperfectum est, per alterum suppleri potest, non autem quod omnino nullum aut inane quemadmodum nec prorogari potest seu extendi quod nullum est. *l. Sed si. 5. ff. de presaris.*

7 Dico 2. In causis ciuilibus testis non integri seu deficientis inhabilitas suppletur ex magnâ habilitate seu fide alterius, sicuti etiam ex numero suppletur, vt v. g. quatuor vel quinque tales testes plenam probationem faciunt; ita *Gabriellus de testibus concl. 5. p. 1. Farin. n. 328.*

8 Dico 3. In causis criminalibus & ciuilibus valde arduis testium inhabilitatem in ordine ad condemnationem nunquam suppleri seu ex aliorum abundante habilitate seu ex numero testium, tradit *Gabriellus cit. loc. n. 11. & Concl. 6. n. 1. Farinacius. n. 311. & 345.* sed contrarium huius, quod videlicet aliquis ex plurium v. g. 10. consentientium testium criminoforum seu criminis excepti participum, testimonii inspectâ qualitate, numero deponentium, aliisque consideratis circumstantiis condemnari possit colligi videtur ex *c. In fidei. 5. de Hæret. vbi*

Ancharanus not. 4. & dixi de hoc, lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 6. n. 27.

CAPITVLVM XI.

Causam.

PARAPHRASIS.

Causa delegata erat quibusdam iudicibus, postea verò aliis commissa, hoc casu mandat Alexander III. vt attestations, quæ à prioribus iudicibus receptæ sunt, posteriores iudices accipiant, & ex iis litem definiant.

SUMMARIVM.

1. Acta prioris iudicii fidem faciunt in altero iudicio inter easdem personas, & in eadem causa.
2. Sunt autem, acta iudicii alia ordinatoria, alia instructoria causa pro liti decisione.
3. Vtraque fidem faciunt coram iudice subrogato.
4. Acta instructoria causa, seu spectantia ad merita liti, etiam in alio iudicio, fidem faciunt inter easdem personas.
5. Ordinatoria actu repetenda sunt, si in alio tribunali causa sit agitanda.
6. Confessio facta in vno iudicio, in altero etiam inter alias personas, indicium seu probationem imperfectam generare potest, vti & confessio extra iudicialis.
7. Non tantum litigantibus, sed etiam heredibus eorum Acta profunt, imò omnibus quibus res iudicata prodesse potest.

NOT. Vnic. Acta prioris iudicii fidem faciunt in altero iudicio inter easdem personas & in eadem causa. Pro intellectu imprimis notanda est glossæ doctrina in *Clem. Sape de verb. signif. hic, & Abbatis*, quod ea, quæ in iudicio aguntur, alia sunt acta iudicii ordinatoria, vt est libelli oblatio, citatio, liti contestatio, iuramentum Calumniæ, datus terminus probationum &c. alia sunt acta causæ instructoria pro liti decisione, vt sunt attestations, instrumenta, confessiones vsque ad sententiam. Hoc posito, ad quæstionem num acta in vno iudicio, fidem faciant in alio. Resp. &c

Dico

3 Dico 1. Acta omnia tam ordinatoria iudicii, quam instructoria causæ, fidē faciunt coram iudice subrogato, constat ex *c. vlt. de prob.* & *ex l. Martino. 60. ff. de iudiciis.* vbi docent DD. quod mortuo iudice eius successor omnia acta assumat, & secundum ea iudicet, sicuti prior iudicaturus fuisset, nam iudex subrogatus veluti idem censetur cum priore, sicuti & eadem causa, idēque iudicium. *l. Proponebatur. 76. de iudiciis.* & idē eādē ratione dicendum de iudice appellationis, aut reuisionis, sicuti hīc *Felinus docet n. 1.* & sumitur ex *Clem. 2. hoc tit.* & videri potest *Lanfrancus in pract. cap. 3. n. 35.*

4 Dico 2. Acta instructoria causæ seu spectantia ad merita litis, etiā in alio iudicio fidem faciunt inter easdem personas, vti colligitur ex *l. Penult. C. de arbitris.* vbi id docet *gloss. verb. iudiciis,* & videri possunt, quæ dixi in *c. At si Clerici. 4. de iudiciis.*

5 Loquor autem de actis instructoriis, quia acta ordinatoria repeti debent, si in alio postea tribunali causa agitanda sit; teste Abbate hīc *n. 1.* deinde loquor de iisdem personis litigantibus, at verò in alias personas acta iudicii plenam fidem non faciunt; quia res inter alios acta, aliis praiudicare non debet. *c. Inter. 6. verb. Porro. de fide instrumentorum.*

6 Verumtamen confessio facta in vno iudicio, in altero iudicio inter alias personas indicium seu probationem imperfectam generare potest, sicuti & confessio extra iudicialis, quæ de re *Felinus. hīc. n. 19.*

7 Deinde non tantum ipsis personis litigantibus, sed & hæredibus seu successoribus eorum acta profunt, immò omnibus personis quibus res iudicata prodesse potest. *argum. l. 2. C. de edendo.* exemplum affert *Innoc. hīc.* Titius petebat à te fundum, tu per testes ostendis esse tuum; postea cum vendidisti Caio, attestaciones illæ dummodo in præsentia actoris receptæ ac publicatæ fuerint, ab emptore allegari ac produci poterunt, quemadmodum & sententia lata pro venditore prodest emptori, vel alteri successori particulari. *l. Si à te. 9. §. Iulianus. ff. de except. rei iudicata. vbi gl. margin. ait, quod*

exceptio rei iudicatæ, quæ venditori & in venditorem competit eadem emptori & in emptorem datur.

CAPITULUM XII.

Cùm nuntius.

PARAPHRASIS.

Clerici nisi aliud eos impediatur à ferendo testimonio in causâ Ecclesiæ suæ, repelli non debent. hāc de re dixi, in *c. 6. hoc tit.*

SYMMARIUM.

1. An Clericus compelli possit ad testandum contra suam Ecclesiam, quaritur, & ordinariè fieri posse negatur. *n. 4.*
2. Clericus à seculari Magistratu in quacunque causa etiam civili, iudicari, vocari, aut cogi non potest ad testimonium dicendum.
3. Valet testimonium Clerici & Religiosi, si absque licentia Superioris à iudice seculari parte nihil opponente, ad illud cogatur vel admittatur.
4. Ordinariè Clericus cogi non potest, ut contra Ecclesiam suam coram Ordinario Ecclesiastico testimonium ferat.
5. Nisi per alios testes veritas cognosci nequeat.
6. Vel Clericus ut testis pro Ecclesia sua productus sit, tunc enim etiam contra ipsam testari cogitur.
7. Differentia inter testes absolutè, & non absolutè inhabiles, & qui illi.

Querit autem gl. hīc, vtrum Clericus compelli possit, ut & contra suam Ecclesiam testetur.

Resp. & Dico 1. Clericus à seculari iudicari, vocari, aut cogi nō potest ad testimonium dicendum in quacunque causa etiam civili *c. Statutum. 37. juncta gl. verb. in testimonium. 2. q. 6. & dixi lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. vlt.*

Accedit quod testes iurati esse debeant, Clericus autem coram iudice seculari absque Episcopi sui licentiā iurare non debet, vti dictum est in *c. 1. de juram. calum. sin* autem necessitas postulet, quia alii tam idonei testes haberi nequeunt, tali casu vel ipse met
Epi-

Episcopus rogatus à sæculari iudice examinabit Clericum, eiusque depositiones ad sæcularem iudicem mittat vel si ita ei videbitur, Clericum mittet ad iudicem sæcularem, vt coram ipso, sicut Clerici solent, iuramentum ac testimonium edat, iuxta *c. 2. iuncta gl. causa. 14. q. 2.* & docet *Archidiaconus ibid. in fine. Abbas hic. n. 3. Gail. lib. 1. obseru. 100. n. 16.* quemadmodum hoc ipsum obseruari solet, si testes ex alieno territorio rogentur.

3 His addendum 1. Si Clericus, vel religiosus absque licentiâ superioris à iudice sæculari, parte nihil opponente, ad testimonium cogatur, vel admittatur, valiturum esse, vt docui *lib. 4. Th. Mor. Tract. 5. cap. 11. n. 3.* & tradit *Abbas hic. n. 3. Farinacius. q. 61. n. 84.* & indicat *gl. in c. 1. de iuram. Calum. verb. Inconsulto. contra Felinum. hic. n. 3. Crottum de testibus. n. 178.* qui putant, saltem monachi seu religiosi testimonium irritum fore, sed contra est, quod nullo iure tale testimonium irritum dicatur, sed tantum illicitè præstitum sine Prælati consensu, accedit, quod consensus Prælati præcedere debeat nõ vt forma seu substãcialis solemnitas actus, sed vt requisitum quoddã ad actus honestatem.

4 Addendum 2. Quod in *c. 2.* dicitur, ne pro conficiendis instrumentis in negotiis sæcularibus Clerici testes rogentur, id vel ad honestatem & consilium spectat, vel per consuetudinem abolutum est, vt *Felinus hic notat n. 3. Farinacius. n. 64.* quod per generalem consuetudinem Clerici in quibusunque contractibus testes adhibeantur, etiam non petiti superioris licentiâ.

5 Dico 2. Ordinariè Clericus cogi nõ potest, vt contra Ecclesiam suã corã Ordinario Ecclesiastico testimonium ferat, idq; propter cõiunctionem ac reuerentiam, quam gerit erga suam Ecclesiam. *arg. l. Lego Juliã. ff. de testibus.* vbi cauetur, ne invito denuntietur testimonium aduersus sanguine aut affinitate proximã iunctos, volentes tamen admittuntur, eorũque testimonium non minus, quã alienum valet, vt docet *Farinacius.* quod testibus deponentibus contra cõiunctos, magis etiam, quã aliis credatur.

6 Limitari debet 1. Si aliter seu per alios te-

stes veritas cognosci non possit, tunc etiam Clerici contra Ecclesiam testari coguntur, vt *Abbas hic notat. n. 3.* idẽque de consanguineis & affinibus, quod in tali casu testari debeant contra coniunctos, ex communi *Farinacius* docet *q. cit. n. 18.* quia priuilegium seu fauor juris hoc casu cessare debet, ne veritas occultetur.

Limitatur 2. Si Clericus in iudicio producatur vt testis pro Ecclesiã suã, cogitur etiam testari contra ipsam ita *gl. hic communiter recepta, verb. Repellendi.* Ratio est, quam *gl. dat in c. Fraternitatis. 17. verb. iuramentis. hoc tit.* quia testes iurare debent, quod dicere velint omnem veritatem, testari enim debent de facto contingente, quod nisi in vtramque partem explicatis instrumentis rectè intelligi non potest.

Contra dicta obiicitur *lex 9. ff. de testib. testis idoneus pater filio aut filius patri nõ est,* idẽ vt nec volẽtes filii contra parentes, aut parentes aduersus filios admittantur. *l. Parentes. 6. C. eodẽ.* præterquã in criminib; exceptis, vel si veritas aliter cognosci nõ possit, vel si pars vtraq; filius videlicet & parens consentiat, vt videre est apud *Farinacium. 54. regulã 3.* sed Clericus Ecclesiã suã filius censetur, ergo ordinariè loquendo testimonium eius etiam volẽtis recipi non debet.

Resp. cum *gl. & Abbate hic. n. 3.* cum prohibitio testium contra jus commune sit, omnibus testificandi facultatem concedens, idẽ strictè interpretationis esse debet, neq; extendi ultra casum expressum, quod autem parentes aduersus liberos & vice versã, ne volentes quidem, ad testimonium admittantur, id de carnalibus parentibus ac filiis statutum reperitur *cit. l. Parentes.* ergo extendi non debet ad spirituales.

Pro pleniore intellectu aduerte, quod inter testes inhabiles alii absolute inhabiles sunt, ita vt neque cum partium consensu eorum testimonium validè recipiatur, sunt tales infames juris infamiã, serui, furiosi; alii verò sunt inhabiles non absolute, quia licet repelli possint & interdum debeant, tamen si admittantur, eorum testimonium indicium vel probationem aliquam affert, vt notauit Cle-

Clarus q. 24. n. 23. talis est Religiosus, Clericus coram seculari iudice, item mulier, criminofus, propinquus, affinis, domesticus.

CAPITVLVM XIII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Si testi obijciatur, quòd sit criminofus & de crimine conuincatur in causâ tam ciuili, quàm criminali, repelli debet, tametsi antea de crimine conuictus, confessus aut damnatus non fuerit.

SUMMARIVM.

1. Criminofus à testimonio ferendo repellendus est.
2. Emendatus, si crimen juris infamiam annexam non habet, admitti debet in causa ciuili.
3. Citatus ad videndum testes, conscius eorum criminum, & tamen nihil opponens, consentire in eos censetur.
4. Repelli tamen tales nihilominus debent à iudice ex officio.
5. In causis summarijs talium testimonium repulsiō partibus non conceditur.
6. Testis criminofus admittitur ad ostendam innocentiam Rei.
7. Predicta locum habent in foro Canonico, in foro Ciuili non prohibetur esse testis criminofus, nisi de crimine damnatus sit, vel ipsâ lege lata infamiam contraxerit.

I NOT. Vnic. Criminofus seu is, cui graue crimen obijcitur, atq; de eo ostenditur, à testimonio ferendo repellendus est. ita habetur in *c. Testimonium 54. hoc tit.* & in *c. Constitutus 9.* vbi inter alios numerantur homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, & dicitur tales ad accusationem, vel testimonium admittendos non esse.

2 Limitatur 1. Si emendatus sit, & crimen juris infamiam annexam non habeat, admitti debet in causâ ciuili. *cit. c. Testimonium.* Porro emendatio cum sit mutatio vi-

ta, non præsumitur, sed probari debet, si videlicet ostendatur non exiguo sed trienniali saltem tempore laudabilem vitam actam esse, vti docet *Farinacius q. 36. n. 140.*

Limit. 2. Si citatus ad videndum testes, sciens eorum crimina, nihil opponat, in personas testimonium consentire censetur, vti constat ex *l. Si quis testibus 17. C. de testibus.* vbi generatim traditur de teste, qui repelli potest, si in productione non repellatur, postea repelli non posse, sed de hac re dicitur in *c. Presentium 31. hoc tit.* Addit *Felinus cit. c. Testimonium n. 3. Mascardus concl. 464. n. 32. Farinacius q. 56. n. 141. & q. 62. n. 176.* si pars non opponat contra testem criminofum, quòd iudex ex officio eum repellere debeat, idemque sentiendum, si aliquis testis esse prohibeatur propter statum, aut conditionem personæ, aut sexum, quia est minor, mulier, religiosus, sed alia ratio est, si testis solum repellatur in fauorem aduersarij, vt quia est domesticus aut affinis eius, qui producit, vti distinguit *Farinacius q. 62. n. 191.* tametsi verò testes criminofus, domesticus, affines &c. non repulsi, sed admissi sint ad testimonium, non tamen integræ fidei, & omni exceptione maiores censi debent.

Limit. 3. Quòd in causis summarijs, in quibus leuis aliqua, non plena, nec exactè semiplena probatio requiritur, talis testimonium repulsiō partibus non conceditur, vti ex communi docet *Farinacius n. 196. Menochius in arbitrarijs. q. 32. n. 11.*

Limit. 4. Quòd testis criminofus in criminalibus admittatur ad ostendam innocentiam rei, vti docet *Mascardus concl. 1366. n. 16. Farinacius q. 56. n. 137.* nam tales inhabiles testes, qui absolute non repelluntur, sed solum propter defectum fidei repelli possunt, admissi verò indicium aliquod faciunt, ij ad innocentiam ostendam absolute admittendi sunt & repelli non possunt, quamuis non integræ fidei esse censeantur, quâ de re *Clarus q. 24. n. 20.*

Limit. 5. Quæ dicta sunt, locum tantum habent in foro Canonico, at verò in Cæsa-

reo foro criminofus non repellitur à ferendo testimonio, nisi de crimine damnatus fit, vel nisi ipsa lege lata infamiam contraxerit, quia talis ob periculum facillè subornari poterit, ita habetur in *l. 3. §. l. Iulia. ff. de testibus.* & videri potest *Farinacius q. 56. n. 130.* vbi addit, quòd Sodomita etiam in ciuili foro repellendus fit, cùm infamiam juris contraxiffè cenfeatur.

Verumtamen tales omnes infames ad testimonium admittuntur propter necessitatem, si alij testes haberi non possint, vt ex communi idem *Farinacius cit. q. 56. n. 50.* ita tamen vt non integræ fidei cenfeantur, teste eodem *q. 62. n. 50.*

CAPITULUM XIV.

De cætero.

PARAPHRASIS.

Secundùm sacros Canones laicus aduersùs Clericum in causâ criminali non admittitur ad ferendum testimonium, si tamen suam vel suorum injuriam prosequatur, tunc ad accusandum admittitur, sed non ad testificandum.

SUMMARIUM.

1. Laicus in causâ criminali non admittitur testis contra Clericum.
2. Nisi in criminibus exceptis, notoriis, & scandalosis, vel si Clericus infamatus sit, aut in subsidium; vel si de crimine agatur ciuilitè, aut per modum denuntiationis seu inquisitionis ad priuationem beneficij.
3. Talis tamen admissus, non erit testis integer; si sit cum eo contestis Clericus bonæ famæ, uterque efficiant probationem plenam.

NOT. Vnic. Laicus in causâ criminali ordinariè non admittitur in testimonium aduersùs Clericum. Ratio dari debet, partim quia laici frequenter sunt infesti Clericis. *c. Laicos s. causa 2. q. 7.* partim quia indecens est, vt statu inferior, testimonium

in causâ criminali ferat contra superiorem statu. *Argum. cit. l. Laicos. & Argum. c. Clericus. eadem. q. 7.* vbi dicitur, quòd minores non debent accusare, vel testimonium ferre contra maiores.

Ampliatur doctrina 1. vt quod de Clericis hîc dicitur, etiam in Religiosis locum habeat, cùm materia fauorabilis sit. 2. tametsi aliquis propriam, aut sibi valde coniunctorum iniuriam prosequatur criminaliter, testes laicos adhibere non potest, vt in textu dicitur, loquimur autem de causâ criminali, at verò in ciuili laicus aduersùs Clericum coram iudice Ecclesiastico testis produci potest, cùm id nullibi prohibitum sit.

Deinde dictum est, laicum in causâ criminali ordinariè non admitti, excipiuntur verò crimina excepta, notoria, & scandalosa, vel si Clericus infamatus sit, item in subsidium, si testes Clerici haberi non possint, quia crimen à Clerico inter laicos commissum est, aut si de crimine agatur ciuilitè v. g. ad restitutionem iniuste ablatorum, vt videre est apud *Abbatem hîc n. 3. Crotum q. 60. Bernardum Diaz in practicâ canonicâ cap. 131. n. 2. Farinacium q. 61. n. 13.* denique si agatur de crimine per modum denuntiationis aut inquisitionis ad depositionem seu priuationem beneficii, quòd laici testes esse possint, colligitur ex *c. Ex parte 2. hoc tit.* vbi id monet *Abbas n. 2. Felinus n. 5. & q.* siquidem testes laici, qui à milite in casu eius capituli adducti erant, idè tantùm repellebantur, quòd essent infames ac perjuri, licet contrarium, sentiat *Farinacius q. 61. n. 114.*

Porro si laicus in causâ criminali contra Clericum bonæ famæ admittatur, non erit testis integer & omni exceptione maior, nisi cum eo concurrat testis Clericus bonæ famæ, tunc supplebitur defectus laici alio defectu non laborantis, vt amborum testimonia efficiant probationem plenam, vt

Crotus n. 68. notauit.

¶ (o) ¶

CAPITVLVM XV.

In causis.

PARAPHRASIS.

In quibuscunque causis tam Ecclesiasticis, quam ciuilibus ultra tertiam testium productionem non admittitur quarta, nisi cum solennitate exacti iuramenti, vti habetur in *Auth. de testibus §. Quia verò. collat. 7. & c. Ultra. 55. hoc tit.* cum autem dicta testium publicata fuerint, publicè de iis disputari potest.

SUMMARIUM.

1. Productione testium aliquorum & receptione in presentia partis facta, possunt alij vel iidem deinde produci & recipi.
2. Nisi producent testium examini, ac depositioni praesens fuerit.
3. Vel conclusum sit in causa.
4. Vel denique tertio jam testes sint producti, ad quartam enim progredi non potest, nisi producent juret, se testium attestations non explorasse, aut didicisse, nec dolo quartam hanc eorum productionem postulare, nec copiam testimoniarum habuisse.
5. Si de dolo & aliis modò predictis suspicio, aut praesumptio esse non possit, procedi potest etiam sine iuramento ad quartam testium productionem.
6. Attestationes in secreto receptae in presentia partium publicari debent, facta eis opponendi potestate.
7. Plenior huius intellectus, & quomodo Reo citato & interrogato super crimine sint attestations publicanda.
8. Hodierno jure nomina testium nunquam in processu iudiciario de heresi publicantur.
9. Nec consuetum in processu iudiciario contra regularem, vt coram eo negante crimen, testes qui in inquisitione contra eum deposuerunt, iterum producantur, aut eorum nomina publicentur.

NOT. I. Postquam testes adducti aliqui fuerunt, & in presentia partis recepti, possunt deinde alii, vel iidem produci, ac recipi.

Sed excipiendum 1. nisi is, qui produxit, testium examini ac depositioni praesens fuerit, tunc ad aliam testium productionem ordinariè admittendus non est, secundùm *gl. receptam in c. Imprimis. 7. verb. si eo praesente causâ 2. q. 1.*

Excipe 2. Si conclusum sit in causâ, tunc nec testes nec alia probationes de jure aut de facto recipi debent, nisi aduersario consentiente, aut saltem non reclamante, vti ex communi *Abbas hic n. 4.*

Excipe 3. Si testes tertio producti sint, tunc ad aliam quartam productionem admitti aliquis non debet, nisi praestito iuramento, quòd attestations testium per se vel per alium non explorarit aut didicerit, nec dolo hanc quartam testium productionem postulet, sed quia hos testes ante producere non potuerit. *cit. c. Ultra. & cit. §. Quia verò.* Hinc rectè inferunt *Abbas & Felinus hic n. 2.* si suspitioni ac praesumptioni huic locus esse non possit, seu quia testes alij & alij continuo actu producti sunt, ita vt eorum depositiones non potuerint à producente explorari aut cognosci, vel si testium productorum examen nondum institutum fuit, his casibus etiam quartam testium productionem admitti posse sine iuramenti solennitate, quandoquidem cessante causâ adaequatâ constitutionis, ipsa etiam constitutio cessare debet, vti docuit *lib. 1. Theol. Mor. Tract. 4. cap. 21. n. 3.*

Not. 2. Attestations testium secretò receptae in presentia partium publicari debent facta eis opponendi facultate, quemadmodum etiam electio Praelati per secretum scrutinium fieri debet, postea verò suffragia publicanda sunt. *c. Quia propter. 43. de elect.*

Pro pleniore intellectu aduerte, quòd testes vel à iudice examinantur ante processum, vt acquirantur indicia sufficientia ad Reum in causâ criminali citandum & examinandum, vel examinantur testes in ipso processu ad Reum conuincendum tam in criminali, quam ciuili causâ.

Hoc posito ita dicendum: Reo citato & interrogato super crimine, de quo infama-

tus vel suspectus est, propter indicia non sunt promulganda nomina testium, debet tamen iudex ostendere ipsas depositiones & indicia ad hoc, ut intelligat se legitime citari & examinari super crimine, cum alioquin respondere non teneatur, quemadmodum nec testis testificari poterit de crimine occulto, nisi appareat ipsi, quod iudex legitime siue ex sufficientibus indiciis, inquirat secundum S. Thomam 2. 2. q. 69. art. t. ad 1. & q. 70. art. 1. in Corpore, juncto Cuietano; Bernardus Diaz & Salsedo in practica crimin. canonica cap. 129. vide Copiam indiciorum. ubi ait semper sibi eam forensis praxin placuisse, quam Ecclesiastici & seculares iudices Deum timentes uti solent, ut licet informationem istam seu copiam depositionum Reo non tradant, tamen precipiant per tabellionem coram eo legi dicta testium, suppressis eorum nominibus, ut nimirum competere habeat, quidnam contra ipsum depositum fuerit, idque etiam in processu iudiciario inter Regulares observandum esse monet Franciscus Suarez tom. 4. de Relig. cap. 12. n. 30. & 31. licet hoc ipsum, sicut & plura alia, quae acquisitive constituta sunt, in quibusdam tribunalibus non observentur, ut testatur Iulius Clarus in pract. crimin. q. 45. n. 8. & Salsedo l. c.

Datam autem Reo aut saltem praesentam copiam indiciorum ac depositionum, tunc vel fatetur crimen, vel negat; si fatetur ultro, ac sine tormentis, statim quidem condemnatoria contra eum sententia ferri potest, inspecto juris rigore, & ita in Germania contra fures sponte confessos procedi testatur Clarus q. 65. n. 1. aequum tamen est, & ita communiter observatur, ut Reo etiam non petenti concedatur spatium deliberandi, num aliquam sui defensionem, aut excusationem allegare queat, uti Clarus ibid. testatur ex Suarezio n. 31. si autem Reus exhibitis indiciis ac depositionibus nihilominus neget delictum, tunc ulterior contra ipsum processus instituitur ad hoc, ut convincatur; quamobrem testes seu iidem, qui antea contra ipsum deposuerunt, seu si qui

alij de nouo accesserunt, ipsi Reo proponi debent, ut videat eos jurare, & interrogatoria ipsis formentur, idque tam in civili, quam criminali causa, ut dixi in c. 2. hoc tit. posteaquam verò testes ita propositi ac veluti legitimated fuerunt, secretò eorum responsiones ac depositiones audiuntur, & à Notario in scripto excipiuntur, additâ ipsius iudicis, atque Notarij subscriptione, uti Suarez monet n. 29.

Hæc denique dicta seu attestaciones testium, eorundemque nomina publicanda sunt coram Reo, concessa ipsi copia opponendi, aut contrarios testes producendi, ut si v. g. opponat Titium falso dixisse, quod cum hoc die viderit Augustam in hospitio positantem, furantem, cum ipse Reus testes producere velit, qui iurati deponant se Titium eodem toto die vidisse Fridbergam. ita habetur in c. Qualiter. 24. §. Debet ergo de accusat.

Excipitur 1. hæresis crimen, in quo nomina seu accusantium seu denuntiantium testimonium publicari non debent, si scandalum, vel periculum ex tali publicatione timeatur, sed cessante periculo etiam in hæresis crimine, tamen si de plano procedatur, testimonium nomina publicari debent, ita habetur in c. ult. de hæreticis in 6. Verum tamen hodierno jure testimonium nomina nunquam in processu iudiciario de hæresi publicari monet Salsedo cit. cap. 31. propter constitutionem Pij IV. in bulla, quae incipit Cum sicut.

2. Excipit Suarez, cit. cap. 12. n. 31. quod in processu iudiciario, quem Prælati inter Regulares instituit, consuetum non sit ut testes, qui in inquisitione contra suspectum deposuerunt, postea iterum producantur ad ratificandam suam depositionem coram eo negante crimen, sed simpliciter procedit contra ipsum ex depositionibus testimonium ipsi intimatis ac præsentis sine nominum publicatione. Dummodò testes fide digni Prælati videantur; id enim quam maxime cavendum est, ne inimicitiam proprio commodo, aliâne sinistra affectione ducantur ad testificandum, idemque in generalibus Vi-

sita-

Attestationibus Prælati obseruari notat *Siman-cha de Cathol. Institut. lib. 64. n. 3.*

Verumtamen rectè notâsse videtur *Sal-седо cit. cap. 29. §. Videtur itaque: si testium nomina nunquam publicentur, vt accusatus contra eos obijcere possit, non posse comparatione eius censerî omnino integros seu omni exceptione majores.*

CAPITVLVM XVI.

Cùm tu.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus quidam excommunicatio- nem tulit in Ecclesiæ Præpositû & quos- dam Canonicos, illi autem dixerunt sen- tentiam irritam esse, quia, antequam ea lata fuit, appellârunt, idque testibus probârunt, vicissim verò ex parte Archiepi- scopi producti testes deposuerunt ap- pellationem factam esse post latam sen- tentiam. His coram Pontifice Alexan- dro III. quæstis, respondi: sententiam pro irritâ habendam esse, nam dicta te- stium, ne perjurii reatu notentur, beni- gnè esse in casu isto interpretandâ, vt & ante & post sententiam latam appellatio interposita fuerit, cùm vtrumque fieri potuerit.

SUMMARYM.

1. *Depositiones testium, qui ex vtrâque parte producti sunt, si possunt, ita interpre- tanda, vt non contradicant.*
2. *Similis conciliatio & interpretatio facien- da etiam est de actis diuersis iterabili- bus, contra ipsum Reum.*

NOT. Vnic. Si testes ex vtrâque parte producti conciliari possint, vt non contradicant, sed de diuersis actibus testentur, tunc ita interpretandæ sunt eorum deposi- tiones. Ratio est, quia non est præsumen- dum delictum, & inde consequens pœna: sin autem testes contraria, aut contradicen- tia dicant, tunc vna pars perjurii crimine, ac pœnâ notabitur. itaque talis interpretatio,

aut præsumptio facienda non est, sed ita ac- cipi debent depositiones, si fieri possit, vt diuersa, non aduersa loquantur, dummodo iterabiles sint, vt in casu proposito; quod bis appellatum fuerit, semel ante, & iterum post latam sententiam. Idemque eadem ra- tione dicendum est, si testes ab eadem parte producti non eadem deponant, sed aduer- saria, si de eodem actu accipiantur, tali casu ita eorum dicta intelligenda esse, vt de diuersis actibus testentur, adeoque vt testes singulares sint, non vt contradicentes, exem- pli causâ, si vnus testium dicat, se vidisse Clericum egredientem è domo mulieris horâ diei tertiâ, alter verò se vidisse horâ diei octauâ, præsumi debet, quòd vterque verum dicat, quippe de diuersis egressibus testantes, quâ de re videri potest. *gl. inc. Ni- hilominus. 16. verb. Puniendi causâ 3. q. 6. & hæc doctrina certa est, si loquamur de præsumptione fauorabili faciendâ erga tes- tes, ne alioquin perjuri censeantur, quia in dubio nemo est condemnandus. juxta c. E- stote. de regulis juris. & gl. receptam in c. Ab- sit. 14. verb. Aut gladio. causâ 11. q. 3. vbi ait, si quid possit trahi in bonum & in malum, potius interpretandum esse in partem me- liorem. certa quoque est doctrina, si loqua- mur de præsumptione fauorabili faciendâ erga Reum absolendum, vti etiam ex hoc c. colligitur, quia Præpositus & Canonici propter benignam præsumptionem actûs iterati immunes ab excommunicatione ju- dicantur.*

Sed quæstio est, num talis interpretatio facienda sit de actis diuersis iterabilibus etiam contra ipsum Reum, Exempli cau- sâ. si Titius accusetur, quòd frumentum è prouinciâ euexerit, productis tribus testi- bus, qui deponant id factum esse post de- cretum principis; ipse verò alios è diuerso testes producat, qui testentur euectionem factam esse ante decretum; vtrum testium dicta ita intelligi debeant, vt bis euexisse censeatur, ideoque pœnam legis incurrisse. *Affirmat Abbas hic n. 5. idque verum est, dummodo diligenter examinatis omnibus circumstantiis appareat, duos illos, qui*

contra Titium testantur, esse veros contes-
tes, nullumque subornationis, aut collusio-
nis periculum adsit, sed in dubio, utrum sint
veri testes, præsumptio quidem fiet pro
ipsis, ne perjuri damnentur; attamen talis
præsumptio eò extendi non debet, ut alius
condemnetur. Ratio est, quam dedi lib. 3.
Th. Mor. Tract. 3. p. 2. cap. 2. n. 7. quia prior
illa præsumptio est tantum negativa, si v-
troque modo se res habere possit, videli-
cet, ut testes vel contradicentia, vel diuersa
dicant, non debeo judicare, eos contradi-
centia dicere, aut ut perjuros damnare, at
verò posterior præsumptio esset positiva, vi-
delicet frumenti euectionem factam esse
post prohibitionem seu decretum, quod in
dubio (videlicet si erroris aut collusionis
suspicio aliqua sit) præsumi non debet.

CAPITVLVM XVII.

Fraternitatis.

PARAPHRASIS.

Si post renuntiationem partium, seu con-
clusionem in causâ, attestacionibus pu-
blicatis sententia lata sit, & pars appella-
uerit, quæritur, num coram iudice ap-
pellationis testes denudè produci possint,
ad hoc respondet Alexander III. quòd
in causâ appellationis seu secundâ in-
stantiâ super nouis tantum articulis liceat
testes vel eosdem, vel alios producere,
recepto tamen ab his iuramento.

SUMMARIUM.

1. *Articulus probatorialis est pars seu mem-
brum eorum, quæ litiganti probanda
sunt.
Alius articulus antiquus, alius omnino
nouus, alius denique directè vel indire-
ctè contrarius. An super his publicatis
semel, verum testes produci possint ydem
vel alij. num. seqq.*
2. *Articulus antiquus quis dicatur.*
3. *Quid sit Articulus omnino nouus.*
4. *Quid sit non omnino nouus.*
5. *Articulus directè contrarius quid?*

6. *Quid Articulus indirectè, seu per accidens
contrarius.*

7. *Publicatis ritè attestacionibus neque in
prima instantia, neque in secunda testes
recipiuntur super articulis ydem, aut
directè contrariis.*

8. *Contra hanc negativam regulam enarra-
tur exceptiones.*

Materia huius capituli expressius decisa
habetur in *Clem. 2. hoc tit.* quòd testi-
bus ritè receptis & testificacionibus publi-
catis neque in causâ principali, neque in
causâ appellationis seu eosdem, seu alios
testes producere liceat super articulis eis-
dem, aut directè contrariis. Ratio adiun-
gitur, quia in vtrâque causâ periculum sub-
est, ne testes subornentur.

Pro intellectu aduerte, quòd articulus a-
lius dicitur antiquus, & alius nouus, & hic
vel omnino nouus vel dependens ex an-
tiquis, alius denique articulus contrarius
directè vel indirectè. Articulus (videlicet
probatorialis) est pars seu membrum ali-
quod eorum, quæ parti litiganti proban-
da sunt, ut dixi in *c. vn. de litis contestat.*

Articulus antiquus dicitur, qui antea
propositus fuit, ut probaretur. Super hoc,
si testes recepti & publicati sunt, iterum su-
per eodem non recipiuntur.

Articulus omnino nouus est, qui nec
propositus fuit, nec ad intentionem partis
villo modo pertinet, talis articulus in omni
causâ rejicitur, quia probatus in iudicium
adductam causam non adiuuaret. *c. Cum
contingat. 26. de off. deleg. v. g.* si actor in
libello petiuerit bouem à Caio ex causâ
venditionis, postea verò ponat articulum,
bouem sibi deberi ex causâ promissionis.

Articulus non omnino nouus, sed de-
pendens seu per se conjunctus cum anti-
quis est, qui propositus ac probatus ad-
juuat causam seu intentionem agentis:
Exempli causâ: Parochus petiit decimas
à quibusdam personis, eæ objecerunt
priuilegium exemptionis, & ideo pro ipsis
sententia lata est, sed Parochus appellans
proponit, quòd per annos 40. priuilegio
vñ

vfi non fuerint, adeoque ipse contra priuilegium præscripserit. *c. Accedentibus. 15. de priuileg.* hoc casu recipitur nouus iste articulus per se spectans ad causam in iudicium ante deductam.

Excipitur, si articulus, qui expressè non erat propositus, ideoque externâ specie nouus apparet, in antiquis articulis contineatur secundum necessitatem facti ac probationis, tunc reputari debet antiquus, ideoque super eo post publicatas attestations, nec in principali, nec in appellationis causa testes recipiendi sunt, vt hîc docet *Innoc. n. 2. Imola n. 9. Bartolus in auth.*

Exempli causa: Aliquis inter articulos probatoriales contra conciuem suum posuit, quod rem immobilem præscripserit annis 10. & post publicationem testium proponit titulum, non debet audiri, quia iste articulus in priore illo virtualiter continetur tum quoad factum, tum quoad onus probandi, quandoquidem nemo absque titulo contra priuatum ciuem rem immobilem præscribere potest intra 10. annos, sed nec præscriptio in hoc casu probari potest, nisi ostenso titulo.

Articulus directè contrarius dicitur, si quis offerat se probaturum, quod directè contrarium est, seu aduersans depositioni testium ex parte alterâ productorum, vt si actor per testes probârit, se mutuum dedisse certo loco, ac tempore, Reus autem post publicatas attestations, aut coram iudice appellationis probare velit, se eo tempore non fuisse in loco illo, audiendus non est. *cit. Clem. 2.* dummodo actor inter positiones habuerit de loco illo, nam si Reus circumstantiam loci primùm intellexerit ex publicatione depositionum, admittitur ad reprobationem testium. *c. Ex tenore. 35. hoc tit.*

Articulus indirectè seu per accidens contrarius est, si actor v. g. posuerit absolute mutuum datum esse Caio, testes autem postea producti deponant de certo tempore aut loco, hoc casu publicatis attestationsibus Caius reprobare potest dicta testium, & consequenter seu indirectè articulum pro-

batorium Titii infringere, ostendendo per testes à se in contrarium adductos, se tunc in loco illo non fuisse, vt dicam plenius *in cit. c. Ex tenore.*

His præmissis *ex e. isto, juncta Clem. 2.* colligimus notandum vnicum; ritè publicatis attestationsibus seu testium dictis neque in primâ instantiâ, neque in secundâ seu iudicio appellationis testes recipiuntur super articulis iisdem aut directè contrarijs.

Nota quod dicitur, si attestations ritè publicatæ sint, sin autem non legitimè testes recepti v. g. ante litis contestationem, tunc testium noua receptio fieri debet, vt notat *gl. in cit. Clem. verb. Ritè. Gail. lib. 1. obseru. 105. n. 12.* deinde loquor de articulis iisdem seu antiquis, nam qui omnino noui, aut alij sunt, adeoque impertinentes, ij nec ante testium publicationem recipiuntur. at verò, qui non omnino noui, sed dependentes à prioribus, ij recipi debent, sicut & qui indirectè contrarii sunt, videlicet propter aliquam qualitatem à testibus allegatam & probatam, ex quâ reprobari possunt. *cit. c. Ex tenore.* Ratio regulæ negatiuæ positæ in notando redditur *in cit. Clem. 2.* quia post publicatas & cognitatas depositiones testium major subesse potest timor aut suspicio subornationis, vt videlicet nouiter producendo testi suggeratur id dicendum, quod cognito jam totius causæ statu eam maximè adiuuat ac promouet.

Cæterùm, si publicatio facta sit, sed depositiones pars non cognouerit, tunc non prohibetur testes iterum producere, nisi appareat, quod antea voluerit renuntiare testium productioni, vt docet *gl. cit. & Abbas hîc. n. 5. Gail. n. 3.*

A regulâ illâ negatiuâ plures sunt exceptiones, quarum pleræque alibi explicatæ sunt v. g. *c. Licet. 9. de probat.* quod contra testes etiam post latam sententiam obijci possit esse corruptos, item quod exceptio peremptoria post attestations publicationem opponi queat. *c. Litem. 5. de dolo.* deinde quotiescunque partes probationibus ac defensionibus renuntiare nõ possunt, tunc etiã publi-

publicatis testificationibus noui testes, aliaque probationes super iisdem articulis recipiuntur, vt in causâ matrimoniali, quæ ne latâ quidem sententia transire censetur in rem iudicatam propter animæ periculum, si vel separarentur, qui legitimè copulati sunt, vel copularentur, qui legitimè copulari nequeunt, vti dixi in c. *Iuravit*. 6. de prob. & docet Gail. cit. obseru. 105. n. 5. eademque ratione in causis criminalibus locus non est regulæ huic ex parte Rei; cum respectu ipsius, vt ad innocentiam suam ostendendam admittatur, nunquam in causâ conclusum censetur iuxta l. *vnus* 18. §. *Cogniturum*. ff. de quest. vbi dicitur, quod defensionem quocunque tempore postulante reo negari non oportet. Vide Gail. lib. 1. obseru. 107. n. 11. sed & iudex ex officio post publicatas attestaciones & conclusionem in causâ, antequam sententia lata sit, interrogationes ac positiones formare & testes recipere potest, quatenus necessarium videtur ad pleniorē & perfectam causæ cognitionem iuxta c. *Cum Ioannes*. 10. vbi Felinus n. 11. de fide instrum. Gail. cit. obseru. 107. n. 6. similiterque ad instantiam partis vtriusque testes de nouo recipi nihil prohibet, cum partes suo fauori renuntiare possint. Argum. l. *Si quis* 29. Cod. de pænit. & docet Gail. cit. obs. 105. n. 14. plures exceptiones videbis apud speculatorem tit. de teste. §. 8. *Imolam hinc* Gail l. c. *Fariuac*. 9. 73.

CAPITVLVM XVIII.

Intimauit.

PARAPHRASIS.

Guilielmus Clericus jurare sibi fecit Capellanum Romani Presbyteri, quod testimonium, consilium, vel auxilium dicto presbytero aduersus ipsum *Capellanum* præstare nollet, hoc intellecto Alexander III. respondit, si testium depositiones publicatæ non sint neque renuntiatum, tunc tam ij, qui iuramentum illud

ediderunt, quàm alij idonei testes admittantur.

S Y M M A R I V M.

1. *Testificari compellitur, qui iuravit se non testificaturum, supposito, quod iudex habeat jus examinandi testes, seu quod juridicè interroget.*

NOT. Vn. Ad testimonium ferendum aliquis compelli potest, non obstante, quod iurauerit se non testificaturum. ratio est, quia lex charitatis obligat ad testimonium ferendum pro proximo, imò etiam lex iustitiæ, si superior jubeat, vti docui c. 1. *hoc tit.* cum itaque testimonium negari non possit absque peccato & quidem ex genere suo mortali, consequens est, quod iuramentum de non testando seu veritatecelandâ obligatorium non sit, ideòque nec seruandum. c. *Constit.* 14. *hoc tit.* & c. *Olim* 26. de accusat. nam iuramentum non est vinculum iniquitatis. c. *Quanto* 18. nec est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum Reg. 88. in 6.

Supponitur autem, quod iudex jus habeat testes examinandi, seu quod juridicè interroget, videlicet præcedentibus sufficientibus indiciis, si loquamur de causâ criminali, sin autem crimen occultum sit, id est indiciis sufficientibus non proditum, licet duobus vel tribus notum sit, hoc casu non debet aliquis de eo testari, teste S. Thomâ 2. 2. q. 70. art. 1. nisi sit perniciosum in futurum, aut nisi agatur secundum denuntiationem charitatiuam vel canonicam ad tollendum peccatum aut animæ periculum, v. g. si aliquis jubeatur depone-re de commisso incestu cum duabus consanguineis in 1. aut 2. gradu eò tantum sine, vt nuptiæ cum alterâ impediatur aut dirimantur tanquam irritæ iuxta ea, quæ docet Suar. lib. 3. D. 13. & dixi lib. 3. *Theol. mor. Tract.* 6. cap. 4. q. 4.

¶: (o): ¶

Cap.

CAPITVLVM XIX.

Causam.

PARAPHRASIS.

Inter Abbatem & Monachos ex vnâ parte, & plebanum atque clericos Ecclesiæ de Marturâ ex alterâ parte lis erat coram iudicibus à Papâ delegatis, in quâ testibus receptis, & factâ vtrinque renuntiatione ac publicatis attestacionibus, monachi priuilegium nuperrimè à Papâ impetratum produxerunt, super hoc consultus Alexander III. respondit super aliis capitulis siue articulis, super quibus testes necdum recepti, & testificaciones publicatæ fuerunt, testes idoneos recipiendos esse, & ita causam decidendam. verumtamen si quæ priuilegia seu indulta à Sede Apostolicâ post factam causæ illius commissionem impetrata sunt à Monasterio, ea parti alteri in causâ ista impedimentum seu præiudicium afferre non possunt, præterea cum Episcopus Florentinus retulerit ad Papam, quod prædicto priuilegio quædam inserta sint, quæ rationi aduersentur, idè illud per nuntium ad Sedem Apostolicam transmittendum esse.

S V M M A R I V M.

1. Publicatis attestacionibus, testes recipiendi denudò sunt super aliis capitulis ad eandem causam pertinentibus.
2. Priuilegium impetratum, lite pendente, nullâ factâ mentione litis, aduersario in ea causa non generat præiudicium,
3. Etiam si priuilegium illud motu proprio Princeps concesserit.
4. Si in rescripto aut priuilegio aliquid continetur, quod rationi aut consuetudini Curia contrarium videatur, remitti debet tanquam suspectum de falsitate.

NOT. I. Factâ publicatione testificacionum testes denudò recipi possunt super aliis capitulis ad eandem causam pertinentibus, vt etiam dictum est in c. Fraternalitas, 17. hoc tit.

Not. II. Priuilegium impetratum lite pendente nullâ factâ mentione litis, aduersario in eâ causâ impedimentum aut præiudicium non generat, ita etiam habetur in c. vlt. vt lite pendente nihil innouetur, quòd verò gl. hîc ait, verb. Commissio: causam censi litigiosam, cum primùm commissio facta est, licet citatio nondum emanauerit, id ex hoc capitulo non colligitur, nihilominus placet hoc, quòd priuilegium ad instantiam alicuius concessum, nō factâ mentione commissionis, quæ super eâdem causâ emanauit, vitio obreptionis laboret, quia Papa aliusue Princeps non facillè commissionem reuocare censetur, nisi exprimat. vide *Abbatem hîc n. 5.*

Sed quæstio est, si princeps non motus alterius petitione (tametsi fortasse ea antecesserit) sed sponte seu motu proprio priuilegium concessit, non factâ mentione litis pendentis, num priuilegium aduersario præiudicet, responsio est negatiua cum *Hosbensi hîc. Io. Andream n. 6. Abbate n. 5. Imola n. 21.* idque probatur ex regulâ receptâ, quòd Princeps motu proprio priuilegium concedens, non censeatur derogare iuri alterius, siue sit in rem siue ad rem. *Argum. l. 2. §. Si quis à principio. ff. Ne quis in loco publico. & docet Felinus hîc n. 2. Sanch. lib. 5. de matr. d. 21. n. 50.* quare si Papa motu proprio conferat beneficium Caio, quod ante contulerat Titio, nullâ huius collationis factâ mentione, præfertur primus impetrans, vt docet *Anton. & Imola in c. Mandatum 38. n. 7. De rescriptis.* deinde si Papa motu proprio conferat beneficium, non censeatur præiudicare vnioni factæ per ordinarium, licet ea effectum nondum consecuta sit, neque derogare iuri patronatus laicorum, neque derogare particularibus statutis loci, nisi de iis mentionem faciat, vt *Felinus hîc docet n. 3. Imola in c. Constitutus. 19. n. 11. de rescriptis. Sanch. cit. n. 50.* multò minus censeatur derogare velle particulari statuto alicuius foundationis, nisi exprimat, vt monet idem *Felinus.*

Porro hæc ipsa regula probari debet ex alterâ magis generali, quam tradit *Ioannes Andreas*

Andreas in c. Si motus. n. 1. de prob. in 6. I-mola, Abbas, Felin. Sanch. l. c. Menochius casu 201. n. 80. licet motus proprius tollat suspicionem obreptionis, non tamen ampliat priuilegium siue gratiam ultra voluntatem concedentis verisimiliter præsumptam, quamobrem si Papa motu proprio conferat beneficium irregulari, aut aliter inhabili, non factâ mentione inhabilitatis, gratia irrita censetur ob defectum voluntatis, quia præsumitur ignorasse secundum *gl. receptam in Clem. Si Romanus, de prob.* præterea si in priuilegio motus proprii exprimitur falsum tanquam causa finalis concessionis, ita ut appareat, vel præsumi possit, nisi in eo errasset seu malè persuasus fuisset Papa, gratiam talem concessurum non fuisse, tunc irrita censetur ob voluntatis defectum, uti docui *lib. 1. Theol. Mor. Tract. 7. cap. 23. n. 10. in fine.* & videri potest *Sanch. cit. disp. 21.*

Not. III. Si in rescripto aut priuilegio à Papâ alioue principe emanante aliquid continetur, quod rationi aut consuetudini curiæ contrarium videatur, remitti debet tanquam suspectum de falsitate, uti etiam habetur *in c. 2. de rescriptis.* & ideo ait *Abbas hic n. 7.* non debet Ordinarius esse facilis in executione horum priuilegiorum, sed consulere principem & expectare secundam iussionem.

CAPITULUM XX.

Personas.

NON SVMMATVR.

Testis productus, si consimili morbo laborare ab aduersâ parte cõiectus fuerit, repellit debet: sensus est, quem *gl. & Io. Andreas* hic tradunt, quod causam consimilem habens ei, ad quam testis produci- tur, repellit possit, sicuti plenius colligitur ex parte 10. cap. 5. post *Conc. Lateranense sub Alexandro III. tom. tertio Conciliorum*, unde hoc capitulum desumptum est, v. g. *Si Parochus*, contra aliquem ex Parochianis agat pro decimarum solutione, pro se autem

Reus immunitatem à soluendis decimis per tempus immemorabile obijciat, cuiusque rei testem producat alium parochianum, qui consimili morbo laborat, seu eadem in nauis nauigat, quia & ipse similiter, si actio contra eum instituatur se defendere velit per temporis immemoralis immunitatem, hoc casu repellendus erit propter affectionem, quam gerit erga causam istam, sic & iudex tanquam suspectus recusari potest, si consimilem ipse causam cum altero habeat. *c. Causam. 18. de iudic.*

Corollarium. Si pluribus rixantibus homicidium commissum sit, & nesciatur, à quo eorum vulnus lethale inflictum, tum si vnus ad se exonerandum fateatur de Titio, ac probare velit per alios testes socios, horum testimonia suspecta esse debent, & ideo contra eos excipi potest, quia videntur ad seipsum à suspicionem eximendos, crimen in vnum Titium conijcere, quâ de re vide *Farinacium q. 60. n. 19.*

CAPITVLVM XXI.

Iudæi.

PARAPHRASIS.

Testimonium Christiani aduersus Iudæos in omnibus causis recipiendum est, cum & ipsi aduersus Christianos testes suos producere præsumant, & excommunicandi sunt ij, qui Iudæos Christianis in hac parte præferre voluerint, cum illos Christianis subjacere oporteat, licet & Christiani illos pro suâ humanitate fo- uere debeant.

SVMMARIVM.

1. Iudæi ut testes recipi possunt in quibusdam casibus.
2. Christiani aduersus Iudæum testes produci possunt adeo, ut per priuilegium, vel consuetudinè introduci non possit contrariò.
3. Ecclesia habet jurisdictionè in Laicos ipsosque Principes saculares, si quid decernat, aut introducant Religioni Christiana, aut eius decori contrarium.

Sum-

Sumptum est hoc e. ex Concilio Lateranen-
si sub Alexandro III. cap. 26. in quo ta-
men absolutè dicitur, quòd iudæi testibus
suis aduersus Christianos vtantur. quod est
contra l. ult. C. de hereticis: vbi dicitur,
quòd iudæus non possit adhiberi testis in
iudicio, sed tantum in testamentis & in-
strumentis seu contractibus, ne alioquin
probationum facultas angustetur. ad id r.
Alexandrum III. non dixisse in illo cap. 26.
iudæi testimonium recipiendum esse con-
tra Christianum, sed quòd iudæi soleant
etiam suos testes producere aduersus Chri-
stianos, ex quo tamen colligi videtur, quòd
in quibusdam casibus iudæi testes recipi
possint, videlicet propter consuetudinem
loci, vti docet Farinacius q. 56. n. 235. item
in defectum aliorum testium, siue si veritas
per testes Christianos & idoneos agnosci nō
possit. Argum. cit. l. & docet Farinac. n. 231.

Not. I. Christiani aduersus iudæum tes-
tes produci possunt aded, vt per priuile-
gium vel consuetudinem introduci non
possit contrarium, videlicet ne iudæi per
Christianos testes conuincantur, vti etiam
habetur in Clem. 1. hoc tit. quia tale priuile-
gium aut consuetudo cederet in oppro-
brium & iniuriam fidei Christianæ, cum
constet, quòd post Christi mortem sub-
esse iudæi, & seruire debeant Christianis,
vti hñc dicitur & in e. Et si iudæos 13. de ju-
dæis, & sumitur ex Apostolo ad Galatas 4.

Not. II. Ecclesia habet jurisdictionem
in laicos ipsosque principes seculares, si
quid decernant aut introducant, quòd
Christianæ Religionis aut decori eius con-
trarium sit, vti sumitur ex hoc e. cit. Clem. 1.
& l. c. Conc. Lateranensis in fine. vbi prohibe-
tur laicis potestatibus, ne ad fidem conuer-
sos à successibus hereditariis excludant;
siue secus factum, injungitur sub excommu-
nicationis pœnâ, vt portionem ipsis com-
petentem integrè exhiberi faciant. Videtur
potest Abbas hic n. 2.

CAPITVLVM XXII.

Super eo.

PARAPHRASIS.

Caia petebat Titium vt maritum suum, sed

Titius negauit se ei fidè dedisse, aut cum eâ
contraxisse: quæritur, num sufficiat ad pro-
bationem, si mater Caiæ & alia mulier tes-
tes producantur. Respondit Alexander III.
non esse admittendam matrem, si vir supe-
rior sit diuitiis, nobilitate, aut honore, cum
enim mater filix incrementum, ac honore
desideret, testimonium eius suspectum est.

Alia quæstio proposita erat, vtrum mulier
viro coniungenda sit, necnè, quando sola
mater consanguinitatem inter illos interce-
dere testatur, ad hoc respondet Papa, si ma-
trimonium nondum contractum sit, non
esse permittendū, vt contrahatur, cum ma-
tris confessio seu testimonium non modi-
cam consanguinitatis intercedentis præ-
sumptionem afferat, siue autem matrimo-
nium contractum sit, non debet dissolui seu
separatio fieri absque plurium testium jura-
mento, id est, duorum, nam pluralis nume-
rus duobus contentus est, vti habetur in l.
Vbi numerus. de testibus.

S V M M A R I V M.

1. Proponitur quæstio, an, & quibus in causis
parentes possint esse testes in causis filio-
rum, & vice versâ.
2. Pater contra filium, & filius contra pa-
trem, aliumue ascendentem ordinariè
testari prohibetur.
3. Neque Pater pro filio, aut hic pro Patre te-
stis admittitur.
4. Collaterales consanguinei non sunt cogendi
ad testificandum contra coniunctos, in
causa seu civili, seu criminali, volentes
tamen admitti debent. Non tamen in
causis criminalibus aut arduis.
5. Limitatur tradita Regula, quòd Parens in
causa filij, & vicissim testis esse nequeat.
6. Exactè discutitur, quomodo in casu Ma-
trimoniali, parentum, fratrum, & co-
gnatorum vtriusque sexus testimonia
recipienda sint.

Quæstio hñc tractari debet, an & quibus
in causis parentes possint esse testes in
causis filiorum & vice versâ. r. & dico
ordinariè contra filium parens, aut filius vel
filia contra parentem aliumue ascendente
m m 2 testis

testis in iudicio esse non potest, ut dixi in *c. Nuntius 12. hoc tit.* idque propter reuerentiam ac naturalem amorem & propensionem, quam inter se gerunt, & ad eod id verum est, ut nec volentes admittantur. *c. Si testes. §. Parentes. causâ 3. q. 4.*

3 Sed neque pro filio parens aliûsue ascendentium, aut vice versâ, filius pro parente admittitur testis ob eandem affectionis causam. *l. Testes 9. de testibus.* potest tamen aduersarius favori suo renuntiare, & tales personas sponte admittere ad testificandum contra se, ut docet *Farinacius q. 54. n. 189.* eo tamen casu veritatem plenè dicere debent pro & contra partè utramque.

De aliis porò collateralibus consanguineis paulò alia ratio est; imprimis, licet cogendi non sint ad testificandum contra conjunctos in causâ seu civili seu criminali. *l. Iulia. juncta gl. de testibus.* tamen volentes admitti debent, sicuti ex communi *Farinac. cit. q. 54. n. 16.* deinde si testes producantur pro conjunctis in causis criminalibus vel arduis, repelli possunt propter suspicionem affectionis, ut colligitur ex *c. 1. Similiter. causâ 3. q. 9. & c. Absens. 16. eadem causâ q. 9. & cit. l. Lege Iulia. & docet Angelus in §. Pater. n. 4. institut. de testam. Speculator de testibus. §. 1. n. 14. gl. cit. c. 1. nisi tam constantis virtutis appareat persona, ut nulla eius animo affectio dominari possit contra veritatem, sicuti limitat *Crotius p. 4. n. 119.* denique in causis civilibus non arduis consanguinei & affines admitti debent. teste *gl. in cit. c. 1. verb. Parentes.* ita tamen ut non sint testes integri & omni exceptione maiores, ut docet *Angelus l. c. Farinacius n. 80.* at verò parentes in causâ liberorù & vice versâ etiam ordinariè in causis civilibus repelli possunt *juxta cit. l. Si testis.* vbi dicitur, testis idoneus pater filio, & filius patri non est.*

4 Sed neque in testamento patris, filius testis esse potest, nec pater in testamento filii. *l. Qui testamento 20. §. qua autem. ff. de testamento. §. Pater instituit. eodem.* vbi id docet *Angelus n. 2. Clarus. §. Testamentum q. 55.* vbi id ampliatur, siue filius in potestate parentis sit, siue emancipatus, & rationem ad-

fert, quia pater & filius quasi eadem persona censentur. *l. ult. C. de impub. & alijs substituit.*

Sed limita, quòd si filius familias in expeditione, seu ante missionem de peculio castrensi testamentum condat, pater testis esse possit, sicuti & frater, sin autem post missionem, commune jus obseruare debet, id eod; nec patrem nec fratrem filius familias ut testem adhibere potest *cit. l. Qui testamento. & cit. §. Pater,* reprobatur enim est testimonium domesticum, id est, eorum, qui ex eadem domo seu familiâ sunt, ut *Mynfingerus* ibi interpretatur.

Porò supra tradita regula negatiua, quòd parens in causâ filii, & filius in causâ parentis testis esse non possit, limitari debet 1. quòd in contractibus seu instrumentariis testes esse possint, si pars vtraque contrahentium consentiat, sicuti docet *Mascardus concl. 1118. Farinacius q. 54. n. 167.* dummodo pars altera sciat esse filium vel patrem eius, quocum contrahit, nam qui ignorat, approbare, aut consentire non censetur. *l. Nec ignorans 10. C. de donat.* vbi dicitur, quòd ignorans non consentit.

2. Quòd pater possit esse testis in causâ, quam filius procuratorio nomine agit, si ipsi patri aut filio directè nihil acquiratur, ut docet *Glossa. Angelus in cit. §. Pater. n. 2. Crotius n. 116.*

3. In criminibus exceptis, item in iis criminibus aut factis, quæ difficilis probationis sunt, aut quorum cognitionem alii non habent, pater ad testificandum contra filium aut filius contra patrem quandoq; à iudice cogi potest, quâ de re *Clarus §. fin. q. 24. n. 23. Farinac. n. 171. Mascard. concl. 1148. n. 28.*

4. In questione ætatis filiorum, testimonium parentum, imprimis verò matris valere debet, teste *Bartolo in l. Parentes 6. & habetur in l. Etiam 16. de prob.* vbi tamen *gl.* monet confessionem matris vel patris de ætate præsumptionem aliquam adferre, licet non ita fides ei adhibeatur, sicut alteri testi, si filio exinde commodum acquiratur cum alterius præiudicio, idque satis colligitur ex hoc ipso c.

5. Si

Licet.

PARAPHRASIS.

Sicut Christianis concessum nō est, ita mul-
tō minus permittendum est iudæis, vt v-
nius legitimo producto testimonio, cau-
sa obtineatur. quamobrem mandat Pa-
pa, vt si iudæo controuersia sit cum Chri-
stiano, præsertim Clerico, non minus
quàm duorum vel trium viroꝝ, qui pro-
batæ vitæ ac fidelis conuersationis sint, te-
stimonia admittantur, quia licet quædã
causæ sint, quæ plures, quàm duos exi-
gant testes, nulla tamen est causa, quæ
vnius, quamuis legitimo testimonio ter-
minetur.

SUMMARIVM.

1. Duo idonei testes ordinariè sufficiunt in
causis tam criminalibus, quàm ciui-
libus.
2. Vnus vel singularis testis in nulla judiciali
controuersia, quæ sit alicuius estimabi-
lis præiudicij, plenè probat.
3. Recensentur Casus certi, in quibus vnus
testis plenè probat.
4. Vnus testis licet non sufficiat ad conuincen-
dum, vel condemnandum, sufficit tamen
ad inquirendum, citandum, & quan-
dōque ad torquendum Reum.
5. Attestatio vnus iuncta cum aliis indicij
vel presumptionibus, potest plenam fi-
dem facere in ciuilibus causis, & in cri-
minalibus occultis, quæ sunt difficilis
probationis.

NOT. I. Ordinariè ad probationem rei
in criminalibus, quàm ciuilibus causis *juxta*
*cap. 17. Deutron. & Matth. 18. In ore duo-
rum vel trium stat omne verbum*, id est, om-
ne negotium ostendi ac confirmari po-
test.

Sunt tamen aliquæ causæ, vt vltimæ vo-
luntates & quædam species contractuum
vel solutionum, ad quas plures testes solen-

m m 3

nitatis

5. Si causa agatur inter duos filios, tunc
parens potest esse testis, item frater in causa
duorum fratrum, idque propter parem af-
fectionis causam, vt docet *Bartolus l. 6. n. 5.*
Mascard. n. 29. Crocius n. 110. Farinac.
n. 205.

6. In causâ matrimoniali, parentum, fra-
trum & cognatorum vtriusq; sexus testimo-
nium ob matrimonij fauorem recipitur, vt
habetur *in c. Videtur. 3. qui matrimonium*
accusare possunt, vbi etiam significatur ho-
rum testimonium in hac causâ plerumque
magis idoneum esse, cū veritatem certius
cognitam habeant.

Verumtamen secundum textum huius
capituli exactius distinguendum, vel agitur
de matrimonio contrahendo, si videlicet
dubitetur, num vir & mulier fidem matri-
monij dederint de præsentī, vel de futuro,
hoc casu parentes recipiendi sunt in testes,
ita vt mater v. g. cum alio teste affirmante,
factam esse promissionem, efficiat proba-
tionem plenā: excipe nisi filio aut filia, quia
est impar diuitiis, nobilitate, potentiâ aut
honore, ex nuptiis peculiaris honor aut in-
crementum accedat, tunc suspectum est
matris testimonium, vt minus estimari de-
beat propter affectionem.

Vel agitur contra matrimoniū, quod du-
pliciter fieri potest, ne contrahatur, quia
obstat impedimentum dirimens v. g. con-
sanguinitatis, hoc casu sufficere debet vnus
matris testimonium, seu confessio; cū a-
gatur de peccato vitando & honore Sacra-
menti seruando, & ita habemus casum, in
quo fides habetur vni testi, etiā cum aliquo
præiudicio tertii. 2. vt quod contractum
jam est matrimonium, dissoluatur propter
impedimentum dirimens, hoc casu agitur
de magno præiudicio, & ided non sufficit
vnus hominis testimonium, sed minimum
duo testes iurati requiruntur, & ad tale te-
stimonium (si dubitetur de consanguinita-
te aut affinitate) præ aliis idonei sunt paren-
tes & propinqui. *cit. c. Videtur,*

& c. *Quotiens. l. 1.*

* * *

nitatis cuiusdam loco, caesareo iure requiruntur. ut in casu *l. Testium 18. de testibus*. & plura accumulatur speculator de testibus §. 11. olim etiam ad condemnandum Episcopum, Presbyterum, vel Clericum, plurimum quandoque testimonia requirebantur, ut videre est in *6. Praesul. causa 2. q. 5.* sed haec non ubique, nec semper recepta sunt, quin potius generalis regula tradi debet, quod ad conuincendam quamcunque personam quacunque dignitate fulgentem, duo idonei omni exceptione maiores consentientes testes sufficiant, ut ibidem Gratianus testatur, & docui *lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 3.*

Not. II. Nulla judicialis controuersia est; quae per unius hominis testimonium terminari possit, quare dici solet, quod unus testis nullus testis est, item vox unius vox nullius, ut docet speculator, *l. e. Farin. q. 62.* & aded hoc verum est, ut contrarium per statutum vel consuetudinem generalem introduci nequeat, videlicet ut in quibuscunque controuersis criminalibus, aut civilibus ad alteram partem conuincendam sufficiat unius hominis testimonium, sicuti *Crotius tradit, Mascard. de prob. lib. 1. in praefat. q. 11. n. 19. Farin. n. 9.* quia id occasionem apertam praebet hominibus calumniandi, peierandi, & innoxios opprimendi, at verò ut quaedam causae leuiore ac summarie, quibus de modico prauiudicio agitur, per unum testem decideri possint de plano & solè facti veritate inspecta, per consuetudinem introductum est, teste *Gabriel. de testibus. concl. 1. n. 45. Maranta de ord. iudiciario. p. 4. dist. 9. n. 76. Mascardo l. c. n. 19.*

Deinde aduertendum est primò, quod loquamur hic de dubiis seu controuersis judicialibus, in quibus agitur de aestimabili prauiudicio tertii. *Argum. c. Indicas. 14. causa 3. q. 5.* & tradit Glossator verb. *Vnius.* quod uni testi non creditur in alterius prauiudicium.

Alij autem casus sunt, in quibus unius hominis testimonium ad plenam rei fidem faciendam accipitur; quod per unicum testem probari possit, hominem esse baptiza-

tum, ordinatum, confessum de peccatis, ab excommunicatione absolutum, doctortus gradu insignitum, Ecclesiam esse consecratam. *Argum. c. Cum itaque. 113.* & docui *lib. 5. Th. Mor. Tract. 2. cap. 5. n. 3.* 2. cum agitur de euitando peccato, ut si ante contractum matrimonium de impedimento dirimente dubitetur, vnus testis affirmans sufficit, ut dixi in *6. In omni hoc sit. & lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 9.* 3. ad probandam innocentiam Rei, ut si confessus aut conuictus homicidium excipiat ac probet per unum testem non suspectum, quod necessariae defensionis causam occiderit, aut quod vulnus lethale non fuerit, sed ex alia causam homo occubuerit, dummodo in partem contrariam non sint alij testes, quae de *re Farin. q. 62. n. 42. Gabriel. concl. 2. n. 35.*

Aduertendum 2. Quod testis vnus licet non sufficiat ad conuincendum aut condemnandum, quia non plenè probat, tamen sufficit ad inquirendum, citandum, immò etiam quandoque ad torquendum Reum, si videlicet sit testimonium vnus omni exceptione maioris, ut docet Speculator *cit. de testibus. n. 11. Lanfrancus in praxi. cap. 8. n. 71. Gabr. & dixi cit. c. 4. n. 7.*

Aduertendum 3. Licet vnus testimonium, si solùm sit, non sufficiat ad probationem plenam, tamen si cum aliis indiciis seu praesumptionibus iunctum sit, efficere potest probationem plenam, saltem in civilibus causis, immò etiam in criminibus occultis, & quae difficile per testes probari possunt, nam quae singula non efficiunt, iuncta inter se facere possunt, iuxta ea quae dixi *6. Cum causam 13. de prob. & docet Farin. q. 62. n. 35.* & tradit Speculator *cit. §. 11. n. 11.* quando ait, quod vnus testis cum fama plenè probat.

CAPITVLVM XXIV.

Ex litteris.

PARAPHRASIS.

Nobilis quidam cum muliere contraxit in facie Ecclesiae, eique ferme septennio cohabita-

cohabitavit, postea separationem institui petiit, allegans se prius cognouisse consobrinam dictæ mulieris, & ad hoc probandum testes è familiâ suâ produxit, hæc re intellectâ, respondit Papa Episcopo, cuius diocæsanus erat nobilis ille, separationem conjugum propter dictorû testium depositiones nequaquam faciendam esse, neque contra istud coniugium aliquos testes recipiendos & audiendos, nisi sint probatæ vitæ ac famæ, ut nulla suspicio de iis esse possit perjurii committendi.

S V M M A R I Y M.

1. *Questio decidenda proponitur: an, & in quibus casibus testes domestici produci possint: & Quid nomine domesticorum importetur.*
2. *Strictè primò domesticorum nomine veniunt, qui ex eodem patre geniti sunt, Secundo latè, qui in domo sunt constituti sub imperio Patrisfamilias, vs vxor filij, famuli; & latissimè Tertio, qui in eadem domo viuunt & conuescuntur.*
3. *De domesticis secundi generis hic questio est, de quibus regula traditur negativa, quòd ij, vs testes producti in civilibus, & criminalibus causis repelli possint.*
4. *Limitatur hæc regula.*
5. *Contra Matrimonium non sunt admittendi testes nisi vitæ probatæ.*
6. *In quo casu etiam iudex ex officio testes non integros, & suspectos repellere debet, licet aduersarius dissimulet; adeò ut tales admissi ne iudicium suo testimonio generent.*
7. *Domestici Tertij generis, uti & amicus pro amico, subditus pro domino vs testes admittuntur ordinariè; non tamen consentur esse integri, & omni exceptione maiores.*

HOc loco questio tractanda est, an & in quibus casibus testes domestici produci possint, imprimis verò aduertendum, quòd domesticorum nomen trifariam accipitur strictè, latè & latissimè.

Strictè sumitur pro iis, qui ex eodem patre geniti sunt filii familias, videlicet fratres inter se eum patre & matre in domo domestici sunt, ut dixi in *e. super. hoc tit. latè* accipitur pro iis omnibus, qui in domo sunt, constituti sub imperio patrisfamilias seu quibus dominus domus præcipere potest, ut vxor, filij, famuli & famulæ conductiæ. *l. Respicendum 11. §. furta. ff. de pænis.* latissimè domestici dicuntur, quicumque in eadem domo seu ædibus viuunt & conuescuntur, aliàs vocantur familiares, ut *gl. hic* notat vulgò commentales.

De domesticis secundi generis mentio est in hoc capitulo, de quibus regula traditur negativa, quòd testes producti ex domo seu familiâ patrisfamilias, quibus ille aliquo modo imperare potest, tam in civilibus, quàm criminalibus causis repelli possint, ita habetur in *l. Etiam 3. C. de testibus. §. Si testes. §. Idonei. Causa 4. q. 2. & docui lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 4.* Ratio est, quia tales personæ persuasionem habent, quòd omnibus iussis domini seu patrisfamilias obsequi debeant, etiam ut iniuste agant & peierent.

Limitandum est 1. quòd domestici esse possint tam probatæ vitæ v. g. principis alicuius domestici, ut in testimonium pro domino admitti debeant iudicis arbitrati. *Argum. l. 3. de testibus. & docet Felinus hic num. 3. Gabrielius concl. 10. num. 19.*

Limitandum 2. quæ eo tempore, quo in testem producitur, desijt esse domesticus, repelli non potest, quare consilium hæc *Abbas dat n. 6.* ut officiales & famuli, si in testes producendi, priùs dimittantur: quamuis in foro externo etiam contra tales excipi possit tanquam in fraudem dimissos, ut *Gabrielius num. 16.* notat, & *Felinus num. 8.* ubi hanc rem iudicis arbitrio committit.

Limita 3. Quòd domesticus produci possit ad probandam innocentiam domini accusati, aut suspecti, cum enim causa Rei fauorabilior sit, quàm actoris, idèò faciliùs aliquis

quis admittitur ad testificandum pro Reo. ita ex communi *Farin. q. 65. n. 70.*

4. Si aduersarius sciens esse domesticum testem, contra eum non excipiat, tum ex eius testimonio maius, aut minus iudicium probatione secundum qualitatem personæ resultare videtur, sicuti docet *Felinus n. 12. Gabriel n. 52.*

5. Domesticus à domino domus coram agente produci potest testis in subsidium, si factum difficilis probationis sit, & alii testes haberi nequeant, quia crimen v.g. furti, domi commissum est, aut de nocte, *juxta l. Consensu. 9. junctâ auth. C. de repudiis. & docent hic Abbas & Felinus n. 6.* ita tamen ut propter affectionem, quam erga dominum gerunt, non censeantur domestici esse testes integri, omnique exceptione maiores, teste *Farinacio n. 46. & n. 50.*

Verumtamen ex altero capite, si videlicet domestici ea, quæ domi facta sunt, melius nosse credantur, tunc aliis testibus etiam præferri debent. *Argum. c. Veniens 38. in fine hoc tit. & c. 1. Causâ. 14. q. 2. & docet Gabrielius cit. concl. 10. n. 39. Mascard. concl. 124. n. 48.* idque etiam procedere videtur in causâ matrimoniali, si agatur ad dissolutionem eius ob impedimentum dirimens, sicuti constat ex *c. Videtur 3. qui matrimonium accusare possunt: vbi dicitur, quod in tali casu parentes, alijq; consanguinei testes esse possunt: igitur etiam domestici.*

Hæc autem directe obstant huic nostro capitulo, in quo dicitur, quod ad probandum affinitatis impedimentum contractum ex copulâ fornicariâ cum consanguineâ mulieris postea in vxorem ductæ, testes domestici nequaquam admitti debeant. *re. cum Baldo & Felin. hic n. 6.* idèd repulsi fuissent, quia censebantur participes criminis se profiteri, & idèd personæ viles & fide non dignæ, quare subiungit Papa, ut ad probandum impedimentum non nisi probatæ vitæ & integritatis opinionis testes adhibeantur.

5 Not. I. Contra matrimoniû, id est, cum agitur ad eius dissolutionem propter impedimentum, non sunt admittendi testes nisi vitæ probatæ.

6 Not. II. Testes non integros aut suspectos in tali causâ iudex ex officio repellere debet, et si aduersarius litis simulet, ad eòd ut si admittantur tales, eorum testimonium nullius valoris sit, & ne iudicium quidem generet, secundum *Felinum in c. Cum dilecti. n. 11. de accusat.* propterea, quod testes in hoc casu repellendi sunt non propter fauorem partis, sed ob fauorem Sacramenti. *Argum. c. Licet. 47. in fine, hoc tit.*

7 Ad extremum dicendum est, quod domestici tertio modo, seu familiares, sicuti & testimonium amici pro amico, & subditi pro domino ordinariè admittuntur, quamuis propter affectionem eiusmodi testes non censeantur esse integri, seu omni exceptione maiores, nisi suspicio, quæ ex hoc capite oriri posset, ex alio tollatur, quia videlicet est vitæ probatissimæ vitæ. Videri potest *Gabrielius n. 21. Mascardus concl. 86. Farin. q. 55. n. 181.*

CAPITVLVM XXV.

Cùm venisset.

PARAPHRASIS.

Controuersiam, quæ super pluribus articulis seu quæstionibus erat inter Abbatem de Sicolano & M. Martinum; Lucius III. iudicibus quibusdam delegauit, postquam ipsi partes citarunt, mors Papæ superuenit, quamobrem pars altera in negotio procedere recusauit, eò quod iurisdicctio iudicum extincta censeretur; & cum illi nihilominus procedere vellet, appellauit, sed mox mutatâ sententiâ agendo, producendo testas, ac respondendo appellationi tacitè renuntiauit, idèdque iudices post testimonia publicata & conclusionè in causâ, sententiam tulerunt. Hoc processu intellecto scribit hic Urbanus III. successor Lucii Papæ si ita res acta fuit, ut sententia illa auctoritate Apostolicâ confirmetur, sed & alias quæstiones, postquam depositiones testium publicatæ fuerint, vel testium productioni renuntiatum, iudices legitime definiant, si quæ verò quæ-

quæstiones restent, super quibus testes nondum producti sunt, aut necdum productioni renuntiatum, audiant utrinque testes, ac postea finem debitum imponant. Ita intelligo casum huius textus cum Felino, & videri possunt ea, quæ dixi in *c. Gratum, de off. delegati*, quod tempore Lucij III. controuersum erat num jurisdictionis iudicis delegati per mortem delegantis expiret, si citatio facta sit, non item litis contestatio, sed negatiuam partem postea definitiuit Urbanus III. huius capituli Author.

S V M M A R I V M.

1. Prosequens litem coram iudice, à quo appellauit, censetur appellationi renuntiasse.
 2. Publicatis attestacionibus, vel facta utrinque renuntiatione testium, nulla amplius productio testium super iisdem articulis in eadem instantia admittitur.
- 1 Not. I. Qui coram iudice, à quo appellauit, litem prosequitur, appellationi renuntiare censetur, ita etiam habetur in *c. c. Gratum. & docet gl. inc. Si à iudice. 18. verb. Teneris. de appell. in 6.*
- 2 Not. II. Postquam testium depositiones publicatæ sunt, vel productioni testium utrinque renuntiatum est, alij testes super iisdem articulis in eadem instantia recipi non debent, de hoc dictum est in *c. Fraternalitatis. 17. hoc. tit.*

CAPITVLVM XXVI.

Series.

P A R A P H R A S I S.

Duorum nobilium liberi Caius & Sempronia matrimonium contraxerant, cum autem postea matrimonium accusaretur propter intercedentem consanguinitatem, actor posuit duas personas Titium & Blancam, asserens, & per testes legitimos probans, eas fuisse in 1. gradu consanguinitatis transversali coniunctos, id est, fuisse fratrem & sororem, sed pars altera è diuerso producebat testes & instrumentum publicum, quibus probare volebat dictas personas non ita fuisse coniunctas, accusator porro opponit, testes hos in contrarium non esse recipiendos, iudex quoque

confirmat non esse eius Ecclesie consuetudinem, ut postquam testes recepti sunt, qui consanguinitatem secundum formam canonum computarunt, & probarunt, alij testes ex opposito recipiantur. His relictis Clementi III. respondit ipse, non obstante illa consuetudine, quippe quæ iuri contraria est, si nihil aliud obstat, testes recipiendos esse.

S V M M A R I V M.

1. In dubio de impedimento consanguinitatis vel affinitatis, paradigma deriuata consanguinitatis secundum formam Canonum exhibendum. Et quæ hac forma.
2. Id quod narratur in publico instrumento incidenter, indicium facit & presumptionem, sed non plenam probationem.
3. Non valet consuetudo, quæ iuri naturali aduersatur, aut cum anima periculo iuncta est.
4. In dubio de valore matrimonij publicatis attestacionibus, alij adhuc testes super articulo produci possunt.

Not. I. Si dubitetur de impedimento consanguinitatis aut affinitatis, paradigma deriuatæ consanguinitatis secundum formam canonum exhiberi debet, forma autem computationis est, ut à stipite, seu communi parente, vel saltem duobus nominatis fratribus, aut fratre & sorore fiat inchoatio, & exinde gradus deducantur, ita hic. & in *c. Tua. 7. de consanguin. & videri potest. c. 1. causa. 35. q. 5.*

Exemplum: accusatur matrimonium Caii cum Sempronia, quod sint quarto gradu consanguinitatis lineæ inæqualis coniuncti: accusator exhibere debet schema coniunctionis, seu arborem consanguinitatis; proponit itaque, & per testes probare paratus est quod Titius & Blanca dudum defuncti fuerint in primo gradu transversali coniuncti, quippe ex eadem matre Placidia geniti, quare cum notorium sit, quod Caius sit nepos Blanca, quippe genitus ex filio eius Lupo, notorium quoque sit, quod Sempronia sit proneptis Titij, quippe genita ex Publia, quæ erat filia Lucij, qui erat filius eiusdem Titij necessariò consequi ait, quod dicti Caius & Sempronia in quarto gradu consanguinitatis lineæ inæqualis iuncti sint.

n n

Placi-

Placidia.

I Blanca	I Titius
II. Lupus	II. Lucius.
III. Caius	III. Publia.
	IV. Semproniana.

2. Not. II. Si in publico instrumento ob alium finem confecto aliquid narretur incidenter v. g. Titium esse fratrem vterinum Blancę, talis relatio affert inciditū ac presumptionem licet non plenā & indubitā probationē. *arg. l. Ea vis. 7. C. de testam. militis. c. Cum olim. 19. junct. gl. fin. de test. & docet Felin. hic. n. 3. & 4. vbi monet eiusmodi instrumentis multū autoritatis addi ex antiquitate, quā de re dixi in c. Cum causam. 13. de probat. potest tamen textus capituli nostri aliter etiā intelligi, quod accusatus de impedimēto matrimonii ex instrumento quodā nataliū ostēderit, quod Titii mater fuerit Elpidia, & consequenter non Placidia mater Blancę.*

3. Not. III. Non valet consuetudo, quæ juri naturali aduersatur cū animæ periculo juncta, ita sumitur ex hoc c. Potest autem casus huius capituli dupliciter intelligi, ut videte est apud *Io. Andr. hic n. 8.* 1. Quod testes ex parte actoris recepti tantum fuerint, eorumque depositiones audite & reo intimatę, hoc casu dicendum; non tantum in causā matrimoniali, sed etiā in aliis causis, præsertim arduis, ac valde præiudicialibus reo, naturali jure debitū esse, ut pro suā defensione testes æquē idoneos ac legitimos in oppositū producere possit, quare contraria consuetudo, tamq; juri videlicet naturali repugnans, hęc reprobatur. 2. Quod testiū vtrinq; productorū attestations publicatę fuerint, vel in causā conclusum seu renuntiatum, hoc casu speciale id cēseri debet in causā matrimonij, si dubitetur de valore eius ob impedimētū, quod publicatis eum partium consensu attestacionib; alij testes super articulo directę produci possint, vt dixi in c. Iuravit. 6. de probat. & in c. Fraternalitatis 17. hoc tit. & ad eod quidem, vt talis facultas producendi testes per nullam consuetudinem tolli queat, quia

cum animæ periculo juncta est, seu præbet peccandi facultatem, uti *Abbas hic docet n. 5.*

CAPITVLVM XXVII. Præterea.

PARAPHRASIS.

Quæsitum fuit ex Celestino III. si quis alterū de copulā fornicariā accuset, vtrum debeat adducere testes de visu, an sufficiat solā famā vicinię allegare & probare, aut quod testes producti jurati affirmet se confesos esse comissi delicti, tamen si de visu nihil dicant. ad hæc respondit Papa, si testes jurati deponant de visu; & famā contentiens presumptionem violentam faciat, atq; alia legitima adminicula suffragentur, tunc standum esse testimoniis de depositionibus de crimine illo. Etenim circumspēctus & discretus iudex motum animi sui ex argumentis ac testimoniis, quę rei aptiora sunt, confirmare debet. cōsentit *lex 3. §. ad. o. g. in fin. h. o. c. i. s.*

SVMMARIVM.

1. Accusari aliquis potest de fornicatione, adulterio & c. Primò criminaliter; secundo civiliter. Tertio per denuntiationem charitatiuam, vel canonicam.
2. Pro varietate causę maior & minor requiritur probatio; si agatur denuntiativę, sufficit semiplena.
3. Si agatur contra adulteriū ad diuortiū & c. requiritur probatio plena.
4. Si ad dissolutionem matrimonij agatur, maiores & clariores probationes exiguntur.
5. In causis criminalibus criminaliter intentatis, probationes debent esse certissima, & luce meridiana clariores.
6. In occulto fornicationis crimine, plerumque testis haberi non potest de scientia, vnde iudex præter vnius vel plurium testiū depositiones, ex aliis adminiculis se informare debet.
7. Si tamen agatur ad poenam legalem, certitudo de crimine commisso omnimoda & moraliter non fallibilis necessaria est. (sic.)
8. Doctrina hęc tradita vsus in foro etiā consuetudinarius.
9. Maritus putativus impedimentū dirimens post nuptias intelligens, per se loquendo non tenetur dispensationem petere, per accidens tamen subinde ex charitate obligabitur.
10. Idem est de sponsis nisi tempore sponsaliorum consensu.

conscijs fuerint impediti, tunc enim censetur se obligasse ad petendam dispensationem.

1. **A**dverte 1. quod variis modis aliquis accusare possit alterum de fornicatione, incestu, aut adulterio, 1. Criminaliter ad poenam legale seu publicam vindictam criminis. 2. Civiliter ad divortium instituendum quoad locum & cohabitationem, aut dotis privationem. 3. Per denunciationem charitativam, tantum ad amovendum peccatum, vel canonicam, ad impediendam electionem, seu promotionem beneficiarii vel promotum amovendum, item ad matrimonium impediendum, ne contrahatur, aut contractum dissolvendum, propter impedimentum affinitatis ex fornicatione copula contracta ante nuptias, ut in casu *c. In literis 24. h. t.*
2. Requiritur autem maior aut minor probatio secundum varietatem causae; si enim agatur denuntiatiue ad tollendum peccatum duntaxat, aut imponendam poenitentiam salutarem, vel ne aliquis promoveatur, qui nullum jus acquisitum habet, vel impediendum matrimonium, ne sacrilege contrahatur, sufficit semiplena probatio, videlicet unus testis, aut sola fama, dummodo verisimilibus indicibus, & non leui origine orta cognoscatur. Videri potest *Mascard. concl. 59. n. 10.* & quae dixi in *c. Super. 22. hoc tit. & lib. 3. Theol. moral. tract. 6. cap. 4. n. 6.*
3. Sin vero agatur contra adulterum, vel adulteram ad divortium instituendum, vel dotis amissionem, requiritur probatio maior, & quae plena ac indubitata ceteri possit, idemque dicendum, si agatur contra Clericum, seu beneficiarium, cui jus acquisitum est per electionem, ut non confirmetur & multo magis, si iam promotus est aut etiam possessionem accepit, ut deponatur, iuxta ea, quae dixi in *c. Venies. 10. h. t.*
4. Denique si accusetur matrimonium contractum, ut dissolvatur propter impedimentum dirimens, tunc maiores adhuc & clariores probationes requiruntur iuxta *c. Super. idemque* dicendum, si agatur criminaliter ad poenam legalem siue per viam accusationis, siue per viam inquisitionis, cum enim tales causae valde arduae ac praedudiciales sint, ideo certissimae & luce meridiana clariores probationes requiruntur, uti docent *DD. in l. vi. C. de Probat. n. 10.* cum fornicatio crimine occultum sit, quod

secretò committi solet, ideo testes tamen dicantur de visu, vel auditu proprio, tamen plerumque non posse censerì de scientia, cum tantum deprehederint indicia, quavis verisimilia criminis, quare iudex praeter unum aut plurimum talium juratorum testium depositiones, etiam ad famam viciniae, & alia adminicula seu coniecturas attendere debet, & ex his omnibus animam suam informare, ut sibi persuadeat crimen verè commissum esse, ita tamen ut maior aut minor praesumptio, vel certitudo requiratur pro diversitate causae; omnimoda autem & moraliter non fallibilis certitudo, si agatur ad poenam legalem, aut dissolutionem matrimonij, ut dictum.

His addendum pro praxi, quae hoc capitulo dicta sunt, etiam pro foro conscientiae inseruire posse, ita ut si maritus v. g. coniugis suae adulterium moraliter certis indicibus, adeoque praesumptione violenta cognitum habeat, licet in foro externo probare non possit, tamen, per se loquendo, & debitum coniugij negare, & praetextu militiae v. g. a muliere discedere possit, ac divortium instituere, uti dixi *lib. 5. Th. mor. tr. 10. p. 3. c. 7. n. 3.* certior autem & absolute indubitata cognitio impedimenti requiritur, ut viro (si in Ecclesiae iudicio probare se posse diffidat, ut putativae uxoris fornicationem v. g. cum fratre viri ante nuptias commissam) alias nuptias in remotissimam regionem contrahere liceat, dummodo scandalum cesserit.

Sed nunquid putativus maritus si impedimentum dirimens ante nuptias ignoratum postea intelligat, dispensationem pontificiam petere tenetur, si eam impetraturum se confidat. *z.* per se loquendo non tenetur, cum id ordinarium sit, ut nemo dispensationis gratiam petere teneatur, sed quisque communi legi se conformare possit, sed interdum per accidens ad vitandum scandalum vel succurrendum liberis & mulieri, obligabitur ex charitatis lege saltem, si mulier extra culpam sit.

Multo minus sponsus, si post contracta sponsalia intelligat subesse impedimentum v. g. contractum ex cognatione spirituali, dispensationem petere tenetur, cum absolute loquendo liber sit a muliere, sponsalibus ipso iure irritis, ceterum si sponsi tempore sponsaliorum conscijs sint impedimenti, ita ut non tantum sciat se v. g. copulans

patres esse, sed etiã sciant cõpaternitatẽ dirimere matrimoniũ, hõc casu probabiliter dici potest, quòd sponsi se obligare censeantur ad dispensationẽ petendam, seu quòd spondere censeantur sub conditione dispensationis Papalis, quam etiã petere velint iuxta ea quæ dixi *cit. tract. 10. p. 2. c. 7. n. 4. & 5.*

CAPITVLVM XXVIII.

Cum à nobis:

PARAPHRASIS.

Judicis solius assertioni secundum jus ciuile & canonicum credendum nõ est in causis seu controuersis testamentorum, contractuũ &c. sed nec scriptura iudicũ, nisi testium adminiculis fulcita sit, tantã obtinere debet firmitatem, quin duorum vel trium idoneis ac legitimis testimoniis reprobari possit, exceptã Apostolicæ sedis auctoritate.

S V M M A R I V M.

1. Scriptura iudicis, sigillo eius munita, saltem in causis leuioribus authentica censetur, per duos tamen testes reprobari potest.
2. Qui tamen per alios testes idoneos pro instrumento iudicis à parte productos rursus reprobari possunt, quibus etiã plus fidei, quam illis adhibetur.
3. Literis Papalibus narrãtibus rem gestã à Papa, si super tali narratione, gratiã &c. intentio eius fundatur, plena fides est tribuenda.
4. Imò etiã eadem fides debetur viua Vocis Papæ talia narrantis.
5. Etiam seculariũ Principũ narrationes super factõ proprio, aut gesto corã ipsis vt personis publicis, plenissimam fidem merentur, si quidem super ijs intentio principis fundatur.
6. Iudex (idem est de arbitro) testis produci nõ potest in causa qua coram ipso agitur.
7. Nec corã alio iudice, si agitur de iustitia vel iniustitia sententia aut laudis, potest tamen esse testis, si agatur de processu causa.

ADverte, quòd hic nõ ponatur regula affirmatiua iudicis, scripturã oportere esse authenticã, seu fidem mereri, cum officium iudicis nõ sit condere scripturas publicas & instrumenta authentica, sed Notarij iurati, uti hõc ex Innocentiõ docet *Ioan. Andr. n. 4.* Verũ quia iudicis scriptura sigillo eius mu-

nita, saltem in causis leuioribus, aut etiã in grauiorib⁹ propter quorundã locorum consuetudinem authentica censetur, idẽ Innoc. III. hic auctoritatẽ talis scripturæ interpretatur ac temperat, ut non debeat esse tanta, quin per duos legitimos testes deponẽtes de falsitate reprobari queat, cum enim instrumentũ publicum Notarij per duos testes reprobari queat, uti multi docent *in c. Cum Ioannes 10. de fide instrument.* multo magis instrumentum, seu scriptura iudicis, tametsi testium subscriptionem habeat.

Excipitur 1. Si pro instrumento iudicis à parte productõ ad sint testes idonei viuã voce deponentes, verẽ ita actum fuisse, sicuti in instrumento narratur, tum his potiũs, quam aliis testibus pro parte aduersa contrariũ asserentibus fides haberi debet, quia duo momenta plus mouere dicuntur, quam unum, pro priori autẽ parte ad sunt duo momenta iudicis auctoritas & testes, pro alterã autem parte tantũ testes.

Excipitur 2. quòd literis Papalibus narrãtibus rem gestã à Papã, si super tali narratione, gratiã &c. intentio eius fundatur, plena fides tribuatur, ita hõc insinuatũ & expressius habetur *in Clem. vii. de probat.* vbi exempla afferuntur, si Papa in litteris narret se beneficium suã aut sedis Apostolicæ collationi reseruãsse, beneficij resignationẽ ab aliquo accepisse, beneficia conferendi potestãtẽ alicui dedisse &c. aliquem excommunicãsse, suspendisse, aut aliquẽ Papæ sacellanũ aut familiarem fecisse, & his similia, ut si Papa, inquit glossa ibi, conferat alicui beneficium vacans per priuationem, quam fecit Titio &c. si scribat Ordinario, ut nullam jurisdictionem exerceat in personas, aut aliqua, quæ narrat se exemisse.

Ampliari debet hæc exceptio 1. ut non tantũ procedat, si per literas Papa talia narret, sed etiã si viuã voce, ut ex hoc c. colligitur, & notauit *Zabarilla in cit. Clement. 1.* ut non procedat tantũ si narret factũ propriũ, sed etiã si rem gestã coram se v. g. Titium Romæ querelam proposuisse, testes hoc vel illud deposuisse, in curiã, uti docet *Felin. hic. n. 2. Mascard. concl. 1227. n. 79. Farin. q. 63. n. 98.* qui tamen id declarant, si Papa motu

motu proprio talia scribat, secus si ad instantiam partis, tum enim de subreptione argui poterunt. 3. Ut procedat etiam si Papa testetur de gestis à se ante Pontificatum, secundum *gl. in c. 2. verb. promississent. de re iudicata in 6. Gabr. Felinus. l. c.* 4. ut procedat, et si Papa narret aliquid actum ab antecessore suo, sicut docet Cardinalis Zabarella *l. c. 9. 9. Mascardus. l. c. n. 48.*

5. Quòd ita plenam fidem faciat narratio Papæ, ut non admittatur probatio in contrarium, secundum glossam receptam, ubi aptè distinguit, si Papa ex litteris narret aliquid non coram se factum v. g. beneficium vacasse per mortem Titii in vrbe, facere quidem fidem seu præsumptionem, sed admitti probationem in contrarium, videlicet, Titium extra urbem mortuum fuisse, sin autem narret aliquid in suâ præsentia factum, tunc verissimam fidem meretur, dummodò de contrario non constet, siue ex euidentiâ facti, siue ex aduersarii confessione prout limitat *Farin. n. 142.*

Deinde admittitur probatio in contrarium, per quâ factum aut narratio Papæ directè non perimitur, sed indirectè tantum eius intentio destruitur, ut in exemplo *gl. citatæ*, si Papa narret se conferre beneficium, quòd vacet per renuntiationem factam in manibus suis, admittendus est aduersarius, si probare velit beneficium non pertinuisse ad renuntiantem, sed ad se, vel renuntiantem prius in manibus Ordinarii renuntiasse. 6. Quòd dicta doctrina non tantum in summo Pontifice locum habeat, sed etiam in secularibus principibus, qui superiorem nullum agnoscunt, ut eorum narrationes super facto proprio, aut gesto coram ipsis plenissimam fidem mereantur, modo explicato, sicuti ex communiore docet *Bartolus in l. Ambrosius. n. 28. ff. de decretis ab ordine faciendis. Farinac. q. 62. n. 83.*

Porro tradita doctrina limitari ac declarari debet; quòd procedat tantum si princeps asserat aliquid à se vel coram se factum tanquam auctoritatem habente, non item si perinde ut aliquis priuatus testimonium ferat in alterius præiudicium, tunc enim e-

tiam in ipso locum habet jus gentium, ut vnius hominis testimonium non probet in alterius præiudicium, quod hic sentire videtur *Albas. n. 2.* idque maximè procedit, si princeps testimonium contra alterum ferret in suum commodum aut in causa valde ardua, videlicet criminali, ut si diceret se aliquem vidisse graue scelus committentem, non esset id sufficiens ad hominem condemnandum, ut docet *Farin. n. 171.*

2. Quòd locus tantum sit doctrinæ, si princeps se fundet super facto, quod narrat; quia videlicet causa sit, aut occasio, ob quam moueatur ad tale quidpiam concedendum, mandandum &c. secus autem est, si quidpiam narratur incidenter, ita ut super ea intentio principis non fundetur, ut si Papa Monasterio indulgentias v. g. concedens incidenter & per accidens vocet exemptum & Sedi Apostolicæ immediatè subiectum, non debet id sufficere ad probationem plenam iuxta *c. Si Papa. 10. de priuileg. in 6.*

Querunt hinc Canonistæ, vtrum iudex in causa, quam iudicat, aut iudicauit, testis esse queat. Resp. & Dico 1. Pendente coram ipso lite, seu in eadem instantiâ litis, iudex non potest produci ut testis, constat ex *c. Dilecte. 40. hoc. tit. vbi iudex delegatus remonendus dicitur, quia eius testimonium in eâ causâ necessarium erat, & ex c. Form. 10. de verb. signif. quòd personæ istæ: iudex, actor, reus, testes, in iudicio distinctæ esse debeant, adde quòd idem etiam in arbitro locum habeat, ut in causâ, quæ coram ipso agitur, testis produci non possit, cum arbitria ad iudiciorum formam redacta sint. *l. 1. ff. de arbitris. & notauit hoc Imola. l. c.**

Dico 2. Finito iudicio seu coram alio iudice videlicet appellationis in integrum restitutionis iudex vel arbiter non potest esse testis, si agatur de iustitiâ vel iniustitiâ sententiæ aut laudi, potest tamen in testem produci, si agatur de processu causæ, ita *gl. hinc communiter recepta verb. vnius. Abbas n. 2. Bart. in l. Ne in arbitris. n. 6. de arbitris. & habetur in c. Statutum. 38. causa 2. q. 6.* ratio prioris partis est, quia iudex affectus est erga causam, quam iudicauit, idèoque te-

stis quodammodo esset in propriâ causâ, quâ simili ratione causæ Aduocatus vel Procurator non potest in eâdem testis produci. *cir. c. Statutum. c. Si testes. §. Testes quos causa 4. q. 3. & l. ult. de testibus. & docet Innoc. in c. de arbitris. n. 1.* quod iudex, Aduocatus, & executor, non possint esse testes, idq; verum est, tamen si quispiâ deposuerit munus Procuratoris, vel Aduocati, quia nihilominus ad causam, quam semel susceperat, affectus esse censetur, secundum *Imolam. hic. n. 7.* idcircoque saltem non integer seu omni exceptione maior testis esse potest, vti docet *Farin. q. 60. n. 159.* & confert ad hoc, quod legitur in *l. ult. C. de Assessorib. junctâ gl. verb. vindicare.* quod Aduocatus causæ, etiam finito officio, non possit in eâdem esse iudex vel assessor, & additur ratio, ne aduocationis suæ memor incorrupti iudicis non possit nomen præferre.

Altera pars declarari & limitari debet, dammodo ipsius iudicis prioris nihil interest ad qualecunque commodum etiam honoris aut laudis consequendum, aut damnum qualecunque seu dedecus evitandum, sicuti *Abbas hic docet Mascard. concl. 124. Farin. n. 100.*

CAPITVLVM XXIX.

De testibus.

PARAPHRASIS.

Si testes producti sint tantum ad probandam exceptionem dilatoriam, non possunt à parte aduersâ cogi ad testificandum super causâ principali, immò nec admitti possunt, cum tantum iurauerint se veritatem dicturos super exceptione dilatoriâ; at verò si testes ad probandam peremptoriam exceptionem producti fuerint, tunc petente aduersario, jurare debent, se dicturos veritatem super toto negotio, & ita iurati cogendi haud dubie sunt ad testificandum de negotio principali, nisi super eo sufficiens testium productio præcesserit, aut si productioni re-

nuntiatum sit, vel testium depositiones publicatæ.

S V M M A R I V M.

1. Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam, non possunt cogi ad testificandum super causâ principali.
2. Testis productus super certo articulo pertinente ad meritum causæ, cogi potest ad iurandum de veritate dicenda super totâ causâ, quatenus cognitam habet.
3. Non permittendum, ut testes iurent tantum super certis articulis, sed cogendi ut iurent super totâ causâ.
4. Testis non iuratus examinari non debet.
5. Ad substantiam testimonii pertinet, ut iuramentum antecedit depositionem.
6. In scripto testes testimonium dare non possunt.

NOT. I. Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam non possunt compelli, ut deponant super causâ principali; cum enim exceptiones dilatoriæ tendant ad impediendum iudicii processum, vti docui in *c. 1. de litis contestat.* sequitur, quod testis productus super exceptione dilatoriâ, non possit examinari super negotio principali, quandoquidem non iuravit se dicturum veritatem super principali, esset enim contradictio, si testis receptus ad deponendum super exceptione dilatoriâ (v.g. quod extra diœcesin crimen commissum, aut extra iurisdictionis fines contractus institutus sit) jurare etiâ deberet super causâ principali, idemque locum habet, si testis producat super exceptione peremptoria vim habente dilatoriâ, cuiusmodi est exceptio litis finitæ per sententiam, transactionem &c. vti docui in *oit. c. 1.*

NOT. II. Testis productus super certo articulo pertinente ad meritum causæ, cogi potest à iudice, præsertim petente alterâ parte, ut iuret, se veritatem dicturum super totâ causâ, quatenus cognitam habet pro utrâque parte litigantium, juxta *c. Non sanè. 15. verb. illi enim. causâ. 15. q. 5. & c. Fratemitatis. in hoc tit.* & ita docet *Bartolus. in l. Si duo*

duo patroni. §. *Idem Julianus. ff. de iureiuran-*
do. gl. magna hic. alioquin verò, si super vno
 tantum articulo jurârît, non poterit exami-
 nari super aliis non connexis, vti hic do-
 cet *Imola. n. 2.* & breuiter tradit Speculator
 de testibus. §. *4. n. 2. & 3.* quòd nec iudex
 nec partes pati debent, vt testes jurent tan-
 tum super datis articulis, sed cogendi vt ju-
 rent super *dati articulis* & totâ causâ, nam
 3 alioquin non valeret testimonium eorum, si
 quid dicerent extra illos articulos.

4 Not. III. Testis non juratus examinari
 non debet, quia non valet eius testimonium.
 ita *gl. hic recepta. verb. non iuncti & docui*
lib. 3. Th. Mor. Tract. 6. cap. 4. n. 6. sed

5 Quæritur 1. An necessarium sit ad sub-
 stantiam testimonii, vt iuramentum antece-
 dat depositionem. Responso est affirmati-
 ua, apud *Gail. lib. 1. obseru. 131. n. 9. Felinus.*
hic. n. 5. qui tamen limitant. Si in conti-
 nenti sequatur iuramentum, tunc moraliter
 loquendo, depositionem censi iuramento
 informatam, maximè cum iuramentum re-
 feratur ad præcedentem depositionem, ita
 vt sit veluti assertio repetita, eaque nunc ju-
 rata, quæ antea erat nuda. Sed bene ad-
 monet Felinus, non satis fore cautum parti,
 contra quam deponitur, si testis sine iura-
 mento se examinari ratus deposuerit, si e-
 nim postea jurare jubeatur, non audebit
 suam dictum falsum retractare, menda-
 ciumque fateri, & ita facillè peierabit.

6 Quæritur 2. Vtrum testes in scripto te-
 stimonium dare possint, responso est nega-
 tiua ex *c. Testes. 15. causâ. 3. q. 6.* vbi dicitur,
 quòd non per scripturam, sed præsentis te-
 stimonium veraciter proferte debeant, &
 docet *ibi Ioan. Turrecremata. 10. Andr. hic.*
 & alii apud *Farin. q. 80. n. 27.*

CAPITVLVM XXX.

Constitutus.

PARAPHRASIS.

Vacante Archidiaconatu Richemundie Ar-
 chiepiscopus Eboracensis eum contulit
 Magistro Honorio, sed eiusdem Ecclesie

Decanus, & Capitulum existimantes
 conferendi potestatem ad se pertinere,
 tum per Concilium Lateranense sub Ale-
 xandro III. in *capitulo. 2. de concess. præ-*
benda, tum per priuilegii cuiusdam con-
 cessionem, vti legitur in *c. Post electionem.*
7. cit. tit. lib. 3. decret. eundem Archidia-
 conatum Magistro Rogelio contule-
 runt, & in possessionem introduxerunt,
 cum autem lis coram iudicibus delegatis,
 receptis etiam testibus, penderet, Ho-
 norius post interpositam appellationem
 spoliavit Rogelium, quare iste à Papâ
 commissionem impetrauit ad quosdam
 super restitutione ipsi faciendâ, sed Ho-
 norius in curiâ personaliter existens, mox
 alias litteras Papales impetrauit reuoca-
 torias prioris commissionis, quippe cum
 per falsi suggestionem impetrata diceret-
 ur, inter alia etiam petebat Honorius à
 Pontifice, vt iuberet testium quorundam
 depositiones publicari, sed Rogelij Pro-
 curator ex aduerso stans, dicebat non esse
 publicandas, quia non in hac causâ, sed
 in aliâ diuersâ, quæ inter Archiepisco-
 pum, & eundem Rogelium vertebatur
 testes producti fuerint; quare Innoc. III.
 noluit eas aperire, sed iudicum in parti-
 bus delegatorum examini commisit hanc
 formâ, vt si cognouerint testes coram
 prioribus delegatis iudicibus productos
 fuisse ab ipso Honorio, non permittatur
 eosdem testes denuò reproducere, cum
 prioribus attestationibus contentus esse
 debeat. Sin verò testes non ab Honorio,
 sed ab Archiepiscopo producti fuerint,
 tunc Honorius, si voluerit eosdem (sic-
 uti & alios testes) in suâ causâ producere
 poterit.

SUMMARIUM.

1. Causâ ab vno iudice ad alium delegatum
 translata, attestationes vel appellationes fa-
 cta à priori iudice petenda & publicanda.
2. Attestationes inter certas personas receptæ
 in iudicio, ad petitionem tertia Personæ non
 sunt publicanda, nisi eius inter sit, nisi aduer-
 sarius consentiat.

3. Co.

3. *Coram diuerso iudice, ne parte quidem principali petente, attestaciones sunt publicande, nisi aduersarius consentiat, vel testes mortui sint.*

¹ **NOT. I.** Si testes recepti sint super quibusdam articulis, & accidat, causam ad alios delegatos iudices transferri, non debent testes super eisdem articulis iterum produci, sed attestaciones, si adhuc extant, à prioribus iudicibus peti, & publicari debent iuxta *c. ult. iunctâ gl. in notand. de probation. & c. Causam. 11. hoc tit.*

² **NOT. II.** Attestaciones receptæ in iudicio inter certas personas non debent ad petitionem personæ tertie publicari, tamen si eius aliquo modo interfit. ita *Io. Andr. hic n. 3.* qui tamen id limitat. *n. 4. & Abbas. n. 5.* si aduersarius consentiat, quod attestaciones publicari possint.

Loquimur autem in casu, si coram eodem iudice aut subrogato, vel iudice appellationis attestacionum publicatio petatur, at verò coram diuerso iudice ne pars quidem principalis attestacionum publicationem obtinebit, nisi aduersario consentiente, aut si testes mortui sint, vt denuò produci non possint, sicuti dixi in *c. Causam. 11. hoc tit.*

CAPITVLVM XXXI.

Præsentiam

PARAPHRASIS.

Si quis post attestaciones publicatas opponere aliquid velit contra personas testium, non audiatur nisi prius iurauerit, quòd id malitiosè non petat, præterquam si ante publicationem protestatus fuerit contra testes, aut nisi ostenderit, quòd post publicationem cognouerit ea, quæ testibus obiicit; veruntamen in casu illo, quo aliquis protestatus fuit contra testes, quòd post publicationem dictorum eos vt inhabiles repellere velit, neque si aliquid pro ipso dixerint, facile iis credendum erit.

SUMMARIUM.

1. *Ante publicationem attestacionum, excipiendum contra testium personas.*
2. *Inhabilitas testis cognita post publicationem attestacionum censetur postea primùm superuenisse, ideòque proponi post eam potest, sed plerumque cum prauo iuramento.*
3. *Exceptio contra personas testium partim est dilatoria, partim peremptoria.*
4. *Testes semel producti in nullo postea iudicio amplius reprobari possunt, nisi superueniente reprobandi causâ, v. g. inimicitia.*
5. *Ita vniuersim approbans personam ad certum actum vel officium, ad idem vel simile reprobare non potest, nisi ex causâ superueniente vel antè incognita.*
6. *Testium dicta reprobare, & falsitatis arguere potest productus, non autem contenta in instrumento à se producto.*
7. *Si quis contra personas testium protestatus sit, tunc credendum non est ipsis, quatenus pro protestante deposuerunt.*

NOT. I. Si quid contra testium personas obiiciendum sit, fieri id debet, priusquam eorù attestaciones publicentur, nam si quis postea repellere velit, videtur id malitiosè agere ad protrahendam aut impediendam litis definitionem, quamobrem monet *Innoc. hic. n. 2.* consultum esse, vt iudex, antequam testimonia promulgentur, admoneat partes, si quid obicere velint contra personas, vt id faciant maturè. Procedit autem hæc doctrina, si aduersarius citatus ad videndum testes productos, reseruauit sibi facultatem excipiendi contra eorum personas; talis enim exceptio admitti solet, sed non tam facillè admittitur protestatio, vt liceat etiam post publicationem opponere, sicut *Innoc. hic* tradit *n. 2. Ioan. Andr. n. 4.* quare quod in textu dicitur malitiæ suspicionem tolli per iuramentum, non ira intelligi debet, quasi ordinatè aliquis admittendus sit ad opponendum contra testes etiam post publicationem, cum antè non opponendo in eos consensisse videatur,

vt dixi in *c. Super. 13. hoc tit.* sed si ex iustâ causâ admittendus videatur, vt id fiat, præmissio iuramento.

2 Not. II. Si quis ostenderit quòd testis inhabilitatem post publicatas attestaciones cognouerit, perinde censeretur, ac si inhabilitas postea superuenerit, cum in tali casu æqualia censeantur non esse, & non apparere. *argum. l. in lego. 77. de contrahendo.* Probari autem plerumque debet per iuramentum; quòd inhabilitas, quæ testibus obicitur, antè ignorata fuerit, ob regulam quæ sumitur ex *c. Nulli. 8. de elect. in 6.* quòd ea quæ in animo latent, vel aliàs occulta sunt, difficilè quæ ostensionem habent, per iuramentum probari solent, prout etiam dixi *lib. 5. Th. Mor. Tract. 10. p. 1. cap. 2. n. 18.* Porro quæ hîc dicta sunt, intelligi debent de eorum testium inhabilitate, qui non repulsi, sed admissi probationem aliquam, aut saltem iudicium pariunt, idè quæ non absolute inhabiles sunt, vt dixi in *cit. c. Super. & c. Cum nuntius. hoc tit.* at verò contra testes absolute inhabiles, cuiusmodi est excommunicatus vitandus, seruus, furiosus, infamis juris infamiâ, etiam absque iuramento opponere licet post publicatas juris depositiones, vt hîc *Felinus. notat. n. 4.*

Obicitur potest *l. 1. eod. de testam.* vbi dicitur, si seruus, qui alioquin inhabilis est, testis adhibeatur in condendo testamento, cum conditio seruitutis publicè ignoratur, testamentum ex hâc causâ infirmari non posse, ergo neque contra inhabilitatem testium post depositiones eorum præsertim publicatas, opponi potest, si eorum tunc defectus publicè ignorabatur. *Resp. cono. ant. neg. conseq.* ratio discriminis est, quia in priorè casu testis requiritur ad solennitatè & substantiam actus, quare si eius defectus publicè ignoretur in loco vbi actus celebratur, ius supplet defectum, si remissibilis sit per legislatorem, juxta *l. Barbarius. de off. pratorum & docui lib. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. 22. n. 9.* at verò in posteriore casu testis requiritur ad probationem quæ non censeatur suppleri, eò quòd inhabilitas testis publicè ignoratur.

3 Quæritur I. Vtrum exceptio contra per-

sonas testium dilatoria sit an peremptoria. *Resp. cum Abbate hîc n. 1.* propriè loquendo neutram esse, participare tamen de vtraque. Probatum & explicatum, nam dilatoria exceptio impedit processum, idè quæ ante litem contestatam proponi debet, ista autem de quâ loquimur etiam exceptio post litem contestatam proponi potest, vt dictum est in *c. Ex parte. 7. hoc tit.* sed non post testium publicationem, vt hîc apparet, sed peremptoria exceptio semper opponi potest; deinde exceptio peremptoria tendit ad destruendam vim actionis & causæ. *l. 3. de exception. §. Appellantur. institut. eodem.* at verò ista exceptio actionis vim & causæ meritum absolute non destruit, sed quadantenus & secundum quid, quatenus ex his testibus intentionem aduersarii; probari non permittit.

Quæritur 2. Vtrum is, qui testes produxit, eos postea reprobare possit. *Resp. & Dico 1.* personas testium, quos aliquis produxit, neque in hoc neque in alio iudicio reprobare potest, nisi causa reprobandi v. g. inimicitia postea superuenerit, ita habetur in *l. Si quis. 17. de testibus.* ex quâ generaliter annotandum est, quòd approbans personam ad certum actum aut officium, non possit deinde eam tanquam inhabilem reprobare ad idè vel consimile, nisi ex causâ superueniente vel prius incognitâ. *arg. c. Nulli. de elect. in 6. & ita docet Innoc. in c. Cum venerabilis. n. 7. de except. Abbas hîc. n. 7.* quare hîc applicari potest iuris regula *21. in 6. quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

Dico 2. Qui produxit testes ad testificandum, potest deinde eorum testimonia reprobare, seu dicta eorum falsitatis arguere, vt Barr. & alii docent in *cit. l. Si quis. & gl. hîc. verb. Si quis.* ratio est, quia producens non censetur approbare, quæ testes acturi sunt, cum ea scire nò potuerit, quare alia ratio est de instrumento producto, cuius contenta nò possunt deinde reprobari à producente, vt gl. citata monet, quare dici solet, quòd producens instrumentum, censeatur approbare contenta in eo. *vide Innoc. in c. Cū olim. de test.*

Not. III. Si quis contra personas testium 6

protestatus sit, tunc neque credendum est ipsis, quatenus pro protestante deposuerunt, ita explicat *Felinus. hic. n. 4.* ratio est, eum testes pro utraque parte veritatem, quam norunt, edicere debeant, iniquum esset, quod aliquis noller eis credi dicentibus contra se, & tamen credi dicentibus pro se.

CAPITVLVM XXXII.

In nostrâ.

PARAPHRASIS.

Controversiam, quam Archidiaconus contra Monachos quosdam habebat, Papa delegauit quibusdam iudicibus, iis receptis, quos utraque pars produxerat, testibus, eorum testimonia non tantum diuersa, sed etiam penitus aduersa esse cognouerunt, ut nescirent, pro qua parte iudicare deberent, quare causam cum attestationibus ad Pontificem remiserunt, is rescribit non tantum ad multitudinem testium hinc inde productorum attendendum esse, sed multo etiam magis ad qualitatem, seu habilitatem, nec non depositiones eorum, quibus maior lux veritatis seu verisimilitudo inesse videatur, ita ut iudex motum animi seu assensum formare queat, ideoque si æqualis honestatis & existimationis videantur esse testes utrinque producti, tum pro Archidiacono, qui plures testes produxerat, iudicandum esse, sin verò testes ex parte Monachorum producti tantæ præeminentiæ sint, ut aliorum multitudini merito præferendi videantur, tunc Monachos à petitione Archidiaconi absoluedos esse.

SUMMARIVM.

1. Testibus pro utraque parte contraria deponentibus, ceteris paribus, causa ad iudicandam est ei parti, etiam actrici, quæ plures pro se testes habet.
2. Attendenda potissimum qualitas testium, an plebei, nobiles, rustici, persona viles.
3. Magnus numerus testium præferendus paucitati magis honestorum, nisi horum sit maximum excessus in honestate.

4. Attendendum etiam est ad qualitates depositionum.

5. Si numerus maior testium, qui ab una parte sunt producti, consentiat, probat; licet unus aut duo, sed pauciores numero contradicant. Hi tamen illorum fidem debilitant.

6. Testes utrinque producti si contraria deponant, unius contradictio non destruit plenam probationem alterius partis. Plures testes ex una parte producti æque idonei, superant testes potiores alterius partis, in causis saltem civilibus, in criminalibus, & Matrimonii magna prudentiâ & cautelâ uti debet iudex.

NOT. Vn. testibus qui ex utraque parte producti sunt directe contraria deponentibus, si cætera paria sint, causa ad iudicandam est ei parti etiam Actrici, quæ plures testes pro se habet.

Aduerte 1. Quod dico etiam parti actrici, nam alioquin si numerus testium & cætera omnia æqualia sint, tunc reus absoluedus erit, cum eius causa fauorabilior esse censeatur, similiterque in dubio, seu si æquales ex utraque parte probationes allatæ videantur, pro causâ fauorabili pronuntian- dum, & vbi minus periculi subest, videlicet pro Matrimonio, libertate, religione, Ecclesiâ, pauperibus, uti annotauit *Gabriel. de probat. conclus. 4. n. 81. gl. hic verb. aduersa.*

Aduerte 2. Quod dixi: si cætera paria sint, attendendum esse ad numerum testium, at verò ante omnia & potissimum iudex attendere debet ad qualitatem testium iuxta *l. 3. de testibus. & l. Ob carmen 21. §. Si testes omnes. ff. eodem.* videlicet num in dignitate positi sint, an plebei, nobilesne, an rustici, aut ignobiles honestæ vitæ, an personæ viles, diuitesne, an pauperes, vel pecuniæ cupidi, amici, an inimici, viri, an mulieres, Clerici, an laici, senes, an iuuenes &c. ut videre est apud *Gabriel. l. c. Abbatem hic. n. 1. Felinum. n. 2.* vbi cum Hostiensis hic adiunt duobus viris honestis ac probatæ vitæ plus credendum esse, quàm aliis 100. villibus ex aduerso deponentibus, id verò intelligi debet, si maximus excessus sit in honestate. Alioquin verò magnus numerus te-
stium.

stium præferetur paucitati testium magis honestorum, secundum *Bart. in cit. l. Ob carmen. gl. in c. Monachus. 9. verb. quorum. dist. 77.* ubi ait, quod tantum valeat testimonium quatuor Clericorum, quantum 6. laicorum.

4 Deinde attendendum est ad qualitates depositionum, siquidem verisimiliora ac negotio aptiora deponentibus, facilius credendum est juxta *c. verisimile. 5. de præsumpt.* ubi dicitur maiorem probationem ab eo requiri, qui non verisimilia, aut insolita asserit.

Porro circa contradictionem testium ex doctrinâ glossæ, & aliorum Canonistarum hinc, verb. aduersa ita distinguendum videtur: vel loquimur in casu, cum testes ex vnâ parte producti inter se contradicunt, tunc nullam probationem efficiunt, quia vnus alterius dictum infringit & eneruat, sicuti docent *DD. in l. Qui falso. 16. de testibus. l. Eius. 27. ff. ad l. Corneliam de falsis. Mascard. concl. 2361. Farin. q. 65. principio.* imò quod tales testes puniri debeant tanquam criminis falsi ac perituri Rei, significatur in *cit. legibus.* id tamè intelligi debet, quod se suspectos reddant, ideòq; examinari ac torqueri possint, præsertim pars ea, quæ minus verisimilia deponit, uti docet *Clarus lib. 5. sentent. §. Falsum. n. 6. Farinac. n. 9.*

Ceterùm id difficile est, si duo vel tres testes producti consentiant, vnus autem seu tertius vel quartus illis contradicat & quidem in substantiâ negotii, quod ideò addo, quia si in accidentalibus ad rei, quæ gesta est, veritatem parum aut nihil pertinentibus, v. g. si in die, vel mense, quo contractus institutus sit, dissentiant testes, probationi plerumque officere non debet, uti docet *gl. cit. §. Si testes omnes. verb. assistit,* & alii *DD. apud Farin. n. 16.*

5 Ad dictam autem difficultatem *gl. hic. verb. aduersa. Abbas in c. Cum causam. n. 17. hoc tit.* & plerique Canonistæ existimant, numerum maiorem testium consentientium probare, tametsi vnus, aut duo, sed pauciores numero contradicant. Verum tamen negari non potest, ex tali contradictione testimonium aliorum consentientium fidem debilitari, ut proinde minor & infirmior proba-

tio censeatur: idque maximè in casu nostro, cum testes contradicentes ab vnâ parte v. g. auctore producti sunt, voluisse enim censetur auctor, ut omnibus ac singulis fides habeatur, si de falsitate conuinci nequeant, quâ de re videri potest & *Imola. n. 4. hoc tit.*

6 Velloquimur in casu, cum testes contra-ria seu aduersantia deponentes hinc inde producti sunt, tunc omnes *DD.* fatentur, quod testis vnus contradictio non destruat probationem plenam partis alterius, quam facit per duos testes integros, item quod plures testes si æquè idonei sint & ex vnâ parte producti, superent testes potiores ex alterâ parte productos, uti supra in hoc capitulo dixi, & colligitur ex *c. Cum in tua. 44. hoc tit.* & hæc quidem rectissimè dicuntur in causis civilibus, quippe in quibus iudex exactâ certitudinem requirere, sed ei parti litigantium victoriam tribuere debet, quæ probabilis suam causam tuetur, ita ut iudex motum animi sui siue assensum intellectus rationabiliter, saltem opinatiuè inclinare possit, quod iustam causam habeat, juxta ea quæ dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 1. ubi de iudice.* at verò in causâ criminali, præsertim si agatur de vitâ hominis, ubi luce meridianâ clariore probationes requiruntur, & quæ omnem moralem dubitationem excludunt; item in causâ matrimonii, si agatur de eius dissolutione, res ista non caret difficultate, nam si ex vnâ parte sint v. g. 3. vel 4. testes, qui deponant de crimine, aut impedimento dirimente, ex alterâ verò sint duo testes omni exceptione maiores, qui directè contrarium deponant, negari non potest, quin triū vel 4. illorum testium, quamuis paræ honestatis sint, depositio debilitetur ac minuatur, prout annotatum etiam reperies apud *Felinum. hic.* consequenter magna hic prudentia & cautione iudex uti debet.

CAPITVLVM XXXIII.

Tam litteris.

PARAPHRASIS.

Electioni Episcopi Lucani opposuerunt se Archi-

chīpresbyter, sacrista & alii quidam, inter alia impedimenta denuntiantes Pontifici, quod cum viduā matrimonium contraxisset, sed & litteras nomine Capituli quamuis ignorantis, ad Pontificem eodem tenore destinārent. His intellectis Papa Innocentius III. iudicibus à se delegatis mandauit, vt veritatem inquirent, cum autem hi super quibusdam articulis testes recepissent, ac deinde etiam super matrimonii contractu laicos & mulieres quasdam recipere vellēt, appellatum est ad Sedem Apostolicam, tunc iudices testium depositiones vnā cum litteris suis ad Pontificem miserunt. Ad has respondit Pontifex: visis litteris & attestationibus se cognouisse contra electum nihil sufficienter ostensum fuisse, cum testes tantum deposuerint de auditu & fama; in quibusdam verò articulis testes vel singulares sint, vel ad probandum inhabiles personæ. Ceterum quia super matrimonio, quod ab electo contractum dicitur, testes qui producti erant, laici ac fœminę recepti non sunt, obstante appellatione, ideò mandat, vt eos si alioquin idonei sint, recipiant & examinent prudenter, excommunicentque solenniter illos, qui eiusmodi testium receptionem impedire volunt, publicatis autem testificationibus, si appareat irregularitatem illam sufficienter probatam non esse, electo indicatur Canonica de obiectis purgatio per septem Cathedralis Ecclesię Canonicos, aut aliarum Ecclesiarum Priores Presbyteros, aut Diaconos bonę famę, eaque receptā purgatione, præfigatur ei terminus consecrationis petendę; sin autem vel irregularitatis impedimentum de eodem probatum fuerit, vel ipse inter terminum præstitutum Canonicam purgationem non præstiterit, ipso amoto ab Ecclesię Lucanę prælatione, Capitulo Pontificis nomine & auctoritate præcipiatur, vt alium Canonicè eligere non differant; Archipresbyterum verò, sacristam & alios, qui nomine Capituli litteras ad Pontificem miserunt, cum tamen

maior eius pars in scia fuerit, denuntient, tamdiu esse ab officio & beneficio suspensos, donec à Papā absolutionem consequantur.

SUMMARIUM.

1. *Episcopus electus & confirmatus Prælatus recte dicitur, non tamen absolute Episcopus, sed cum addito Electus Episcopus dicendus est.*
2. *Testes de auditu non probant plene contra denuntiatum de crimine, huic tamen purgatio Canonica indicenda, quam si recuset, habetur pro confesso.*
3. *Laici & mulieres possunt esse testes contra Clericum, si agatur de crimine, vel impedimento per modum exceptionis ad amotionem alicuius à beneficio.*
4. *Index delegatus Ecclesiasticus contra quoscunque spirituali sua jurisdictioni subditos, impedientes eius jurisdictionem, censuram ferre potest.*
5. *Clericus in sacris, cum Vidua, licet inualide, contrahens, eamque cognoscens bigamiam similitudinariam & irregularitatem contrahit.*
6. *Suspensus à Summo Pontifice per sententiam, vel excommunicatus, sine eius speciali licentia, ab alio absolutus non potest. Idem est de alio Prælato, qui per sententiam particularem in aliquem censuram tulit. Censuratus absolutus non potest, nisi ab ipso Prælato, vel eiusdem delegato, vel successore, vel superiore.*

NOT. I. Episcopus electus & confirmatus priusquam consecratus sit, licet Prælatus recte dicatur, non tamen absolute Episcopus vocari solet, sed cum addito Episcopus electus, ita colligitur *ex textu*, & notauit *Abbas hic, n. 1. not. 1.* & docui in *quæst. de elect. Prælatorum. q. 138.*

NOT. II. Testes de auditu seu relatione ab aliis acceptā ipsaque famā, non plene probant contra denuntiatum de crimine sed quia probant infamationem, ideò denuntiatum purgatio Canonica indicenda est, quam si is præstare noluerit, habetur pro confesso, saltem in ordine ad eius amotionem, si di-

si dicatur cum irregularitate seu inhabilitate electus aut promotus ad beneficium.

3^o Not. III. Laici, immò etiam mulieres possunt esse testes contra Clericum, si agatur de crimine vel impedimento per modum exceptionis, vt aliquis amoveatur à beneficio tanquam inhabilis seu non canonicè electus, vel promotus. ita *Innoc. hic. & gl. communiter recepta verb. Fœmina. & dixi in cap. 3. hoc tit.*

4^o Not. IV. Iudex delegatus Ecclesiasticus contra quoscunque etiam laicos si iurisdictioni delegantis in spiritualibus subiecti sunt, censuram ferre potest, quando eius iurisdictionem impedire conantur, vt hîc apparet & habetur in *cap. Ex literis. 29. de offic. deleg.*

5^o Not. V. Clericus in sacris, si cum viduâ matrimonium quamvis invalidè contrahat, eamque cognoscat, bigamiam similitudinariam & irregularitatem contrahit, iuxta *cap. ult. De bigam.*

6^o Not. VI. Qui à sumo Pontifice per sententiam suspensus vel excommunicatus est, non potest ab alio absque speciali eius licentiâ absolui, idemq; dicendum est, si quicumque Prælatus in aliquem censuram tulerit per sententiam particularem, quòd absolui non possit, nisi ab auctore censuræ aut eiusdem delegato vel successore vel superiore, vt docui *lib. 1. Th. mor. tr. 5. p. 1. cap. 7. n. 2.*

CAPITVLVM XXXIV.

Cum olim.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Ecclesiæ Menensis mouebat quæstionem Archiepiscopo Cantuariensi super statu dictæ Ecclesiæ, dicebat enim eam esse Archiepiscopalem, idèoque non subiectam Cantuariensi, quare Innoc. III. citauit Archiepiscopum, vt per se, vel per Procuratorem Romæ se sisteret, cum autem ille non paruisset, causam iudicibus delegauit hac formâ: si Archiepiscopus Archidiaconum per legitimam exceptionem repellere non possit, vt partibus, vel

earum procuratoribus, si id fieri possit, ad locum securum atque idoneum convocatis, ac lite contestatâ, testes quos Archiepiscopus in Angliâ & Archidiaconus in Valliâ produxerit, recipi curent, sin autem Archiepiscopus post legitimam citationem nec per se, nec per Procuratorem idoneum comparere voluerit, litemque contestari, tum ipsimet iudices testes maximè senes ac valetudinarios ab Archidiacono productos, remotâ appellacione, recipiant, & depositiones eorum cõscriptas ad sedem Apostolicam mittant, ac partibus terminum peremptorium statuunt, intra quem per se, vel per Procuratorem Pontifici se præsentibus exhibere debeant ad sententiam definitiuam audiendam.

SUMMARIUM.

1. Episcopo iura Ecclesiæ negligente, neque Capitulo se interponente, quilibet eius Ecclesiæ Clericus (etiam sine mandato) ad agendum admittitur, maximo Archidiaconus.
2. In causa liberali testes propter contumaciam absentis recipi possunt, etiam lite non contestatâ.
3. Receptis contra contumacem testibus, iterum citandus est, & quidem peremptoriè ad sententiam audiendam.

NOT. I. Si Episcopus iura Ecclesiæ perdat, aut recuperare negligat, neque Capitulum se interponat, tum alius quilibet Ecclesiæ eiusdem Clericus ad agendum admittitur, etiam sine mandato, cum ipsius interesse censeatur. ita *gl. hic. verb. Per exceptionem. Innoc. Abbas n. 6. Imola not. 1. Felinus n. 2. & sumitur ex cap. Non liceat. 20. causa 12. q. 12. c. Dilecti. vbi id docui not. 1. de maiori-tate.* Maximè autem ad Archidiaconum pertinet agere pro iuribus Ecclesiæ, si de Episcopi & Capituli negligentia cognitum sit, cum ille in Ecclesiâ qualibet spectato communi jure, maximam post Episcopum iurisdictionem obtineat, vt dixi *lib. 1. decret. tit. de off. Archidiaconi.*

Accedit, quòd in casu huius capituli agebatur de statu Ecclesiæ Menensis, num Ecclesiæ Metropolitanæ subiecta esse debeat, an verò libera; at verò in causa liberali (id est, si agatur de statu libertatis) in defectum eius, cuius propriè interest, & coniunctos ad agendum admittendos esse constat ex l. 1. & seq. ff. De causâ liberali. ex arg. cit. c. Non liceat; si enim pro recuperandâ re Ecclesiæ malè alienatâ quilibet Clericus agere potest, multò magis pro personarum libertate recuperandâ, uti hîc *Abbas argumentatur n. 5.*

2 Not. II. In causâ liberali, si videlicet agatur de statu hominis aut Ecclesiæ, num sit libera, an subiecta, testes propter contumaciam Rei absentis recipi possunt etiam lite non contestatâ. ita *Immola hîc. n. 2. Felinus n. 6. Baldus in l. 1. De testibus, & alij fermè communiter.*

3 Not. III. Si contra contumacem testes recepti sint in eius absentia, iterum citari debet, & quidem peremptoriè ad audiendam sententiam definitivam, quâ de re *Fel. n. not. ult.*

CAPITULUM XXXV.

Ex tenore.

PARAPHRASIS.

Causam matrimonialem inter militem & mulierem commisit Papa iudicibus, coram his mulier allegavit, quòd miles post præstitum corporale iuramentum contrahendi matrimonij, eam carnaliter cognoverit, & in domum suam traduxerit, miles verò ista negavit, adiciens etsi vera essent, non posse tamen consistere matrimonium cum ea muliere, quâdoquidem ipse prius aliam duxerit, quæ adhuc vivat. Super hoc auditis testib⁹, qui ex parte militis, producti erant, eorum depositiones testabantur, quòd alteram illam mulierè ante festum Purificationis solenniter duxerit. quare cum à muliere hâc actrice producti testes deponerent, quòd in paschali septimanâ iuramentum de eâ ducendâ præstitum esset, ideò miles ab huius petitione se absolvi petiuit. Veruntamen ex parte huius mulieris, replicatum

fuit, quòd eo ipso tempore & ante id tempus, quo cum alterâ muliere contraxisset perhibetur, miles fuerit in Eboracensi provinciâ commoratus, cum tamè testes ipsius deposuerint, longè extra provinciâ id actum fuisse, determinantes tempus & locû, & hanc explicationem ac depositionum reprobationè mulier probare parata erat, sed miles ex adverso triplicavit, cum testium depositiones publicatæ sint, productioni testium amplius locum non esse; his ita relatis, Innocentius III. ipse respondit, non obstante publicatione, testes mulieris audiendos esse.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium clandestinum olim validum erat.
2. Allegans suam propriam turpitudinem ordinariè non auditur, nisi vertatur periculum anima, vel Ecclesia aut alterum Reipublicæ.
3. Testes restringentes factum ad certum locum & tempus, indirectè reprobari possunt per alios testes.
4. Et primò quidem etiam post publicatas attestations, si ex ijs primò reprobandi facultas acquisita est.
5. Secundo, licet plures sint illorum testes, possunt ij per duos integros indirectè reprobari.

Not. I. Matrimonium clandestinum olim validum erat, & præsumebatur contractum, si post sponsalia de futuro copula carnalis inter sponfos intervenerit.

Not. II. Licet ordinariè aliquis non audiatur allegans propriam turpitudinem, uti docet *gl. recepta in c. Cum super. 5. de concess. præbenda. verb. Possè.* Excipi tamen debet nisi vertatur periculum animæ, ut hîc, vel periculum Ecclesiæ alteriusvè reipublicæ, uti docui *lib. 3. Th. mor. Tract. 4. cap. 10. n. 4. §. Quod si.*

Not. III. Testes restringentes seu determinantes factum certo loco ac tempore, ab adversâ parte reprobari possunt indirectè per alios testes testificantes, quòd vel is, qui id fecisse dicitur, aut testes qui se vidisse aut alibi

alibi eodem tempore fuerit, aut fuerint, ita ut impossibile sit testium depositionem veram esse.

Amplia 1. Quòd talis testium reprobatio fieri possit etiam post publicatas eorum depositiones, uti docui in *c. Fraternitatis. 17. hoc tit.* & colligitur ex hoc cap. imò hæc est præcipua eius doctrina, quòd post publicationem testificationum adversarius admitti debeat ad articulum indirectè reprobandù, quando talem reprobandi facultatem ex publicatis testificationibus primùm didicit & acquisiuit, ut in casu huius Capituli, nam miles in exceptione suâ absolute tantùm posuerat se contraxisse cum aliâ, antequam huic mulieri promitteret; postea verò publicatis attestacionibus apparebat, quòd testes de certo loco ac tempore deponerent, idè ad hos testes reprobandos admittuntur alij qui testentur militem eodem tempore alibi fuisse, consequenter exceptionem probatam non esse.

Amplia 2. Hanc doctrinam veram esse, tametsi plurimi testes sint qui deponant militem contraxisse cum Caiâ & inter deponendum specificent locum ac tempus, possunt enim ij omnes per duos testes omni exceptione maiores reprobari indirectè, quando testantur eundem militem eodem tempore fuisse in loco tam distante, ut impossibile esset eum ad alterum locum advolare, quemadmodum instrumentum, cui quatuor aut plures testes subscripti sunt, per duos testes reprobari potest, uti docent *DD. in c. Cum à nobis. 28. hoc tit.* & *c. Cum Ioannes. 10. de fide instrument.* Ratio est, quia directe non deponunt super eodem articulo; nam testes actoris v. g. deponunt super articulo, quòd res gesta sit v. g. contractus celebratus, at verò testes à Reo producti deponunt de priorum testium mendacio, quia videlicet dixerunt ipsos vel actorem fuisse tali tempore in tali loco, cum tamen alibi fuerint, qua simili ratione sex aut plurimum testium corruptio per duos testes probari potest, & hanc doctrinam indicat etiam *Abbas c. Cum in tua. n. 1. hoc tit.*

CAPITULUM XXXVI. Significauerunt.

PARAPHRASIS.

Abbatissa & moniales de Fortellis litem movebant Abbati & Monachis S. Dionysij tam super proprietate, quam possessione Prioratus de Argentolio, dicentes antecessores suas moniales à monachis inde violenter eiectas fuisse, & prius quidem causam proprietatis urgebant, ac testes super eâ producerunt, sed mox omisso petitorio possessionis iudicium intentabant, eoque in causâ processum erat, ut testium utriusque productorum depositiones publicandæ essent, verùm cum moniales nolent testes super possessione tantùm publicandos esse, monachi se opposuerunt ac petierunt novâ testium productionem fieri super possessorio, appellantes cõtra interlocutoriam iudicij sententiâ, quâ publicatio decernebatur. His intellectis mandat Innoc. III. si ita est, quòd monachi quartam testium productionem super possessorio cum juris solennitate petierint, & ab interlocutoriâ sententiâ intra decendum appellârint, admittendos eos esse, nisi iudices idè productionem testiũ denegârint, quòd effrenatam multitudinem coercere vellent. Porrò si quarta productio monachis cõcessa fuerit, atque in probatione defecerint, ad expensas legitimas condemnandi erunt, etsi in petitorio non usque eò processum sit, ut possit de causâ proprietatis liquere, tunc causâ possessionis prius terminetur, dilato petitorio iudicio, alioquin verò utramque quæstionem simul determinent iudices.

SUMMARIUM.

1. Actor proposito etiam utroque iudicio petitorio, & possessorio, & super utroque, testibus productis, potest petere, ut suspensio petitorio possessorium definiatur.
2. Successor universalis agere potest interdicto Vnde vi, si antecessor spoliatus fuit.
3. Si quarta testium productio irrationabiliter negetur à iudice, appellari potest.
4. Liti-

4. *Litigans crebris testimonium productionibus litem protrahens, & in probatione deficiens, condemnari debet adversa parti in expensas.*

1 **Not. I.** Et si actor in libello utrumque iudicium petitorium & possessorium recuperandæ proposuerit, & super utroque testes produxerit, potest tamen petere à iudice, ut suspenso petitorio, si causa proprietatis non satis liquidata sit, possessorium tantum definiatur, de hac re dictum fuit *in c. 2. & c. Pastoralis. s. De causâ possess. & proprietatis.*

2 **Not. II.** Successor universalis agere potest interdicto, *undi vi* seu iudicio recuperandæ possessionis, si antecessor spoliatus, seu vi deiectus sit de possessione. *l. 1. de vi & vi armatâ. s. hoc interdictum, & heredi, & ceteris successoribus competit.*

3 **Not. III.** Si quarta testimonium productio legaliter faciendâ negetur à iudice sine causâ rationabili, appellari potest intra dies 10. vide quæ dixi *c. In causis. s. hoc tit.*

4 **Not. IV.** Si pars litigans aliis & aliis testimonium productionibus litem protrahat, & postea in probatione deficiat, condemnari debet ad expensas parti adversæ præstandas, uti constat etiam ex *cap. Finem. s. De dolo.*

CAPITVLVM XXXVII.

Cùm causa.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Archiepiscopum Ravennatensem & communitatem Faventinam super quorundam locorum iurisdictione, uti videre est *cap. Licet*: in eâ causâ lis coram Pontifice contestata erat, & iuramentum calumniæ receptum, sed quia difficile & onerosum fuit testes Romam adducere, idèò mandatur hîc Episcopo Placentino, ut testes tum super negotio principali, tum super personis testimonium, qui ex utràque parte producti fuerint, recipiat, & diligenter examinari curet inquirendo de circumstantiis singulis,

videlicet causis, personis, locis, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, famâ & certitudine, eaque omnia plenè perscribuntur, quòd si Faventini, aliivè productionem testimonium impedire præsumpserint, ab Episcopo coercendi erunt. Verùm ut nimia multitudo testimonium refrænetur, ultra quadragenarium numerum non suscipiat, ita ut si Faventini depositiones testimonium, quæ coram Episcopo Ferrariensi & Abbate Pomponensi factæ sunt, ratas esse velint, & hi in numero isto computari debeant, alioquin cum attestaciones adhuc clausæ seu non publicatæ sint, iidem testes, si opus sit, iterum audiantur.

SUMMARIUM.

1. *An, in, & ex quâ causa iudex possit examinare testimonium committere alteri, & cui.*
2. *Quæ cautela in eo examine adhibenda.*
3. *Quomodo examinandi sint testes.*

Not. I. Si testes remoti sint, ut difficile ad iudicem accedere possint, tum iudex alteri committere debet eorum examen, ita ut depositiones perscriptæ ad iudicem transmittantur, ita habetur etiam in *l. Iudices. 18. c. De fide instrum.* quòd iudex examinationem testimonium committere possit iudici eius territorij, ubi testes degunt, & mandare partibus, ut ibidem compareant, & idem habetur in *c. 3. De fideiussoribus.* ubi tamen glossa monet, verb. *Transmittentes.* id locum tantum habere in causis civilibus, non item in criminalibus, quippe in quibus ipsemet iudex testes recipere & examinare debet, uti dixi *in c. Si qui. 10. hoc tit.* quamvis id consuetudine non ubique observatur, siquidem propter necessitatem, ne crimina impunita maneat, etiam in causâ criminali v. g. violatæ pacis publicæ, commissio examinandorum testimonium absentium alteri fieri solet, teste Baldo *ausb. Apud eloquentissimum. n. 1. c. De fide instrum. n. 1. Gail. l. b. 1. observ. 96. n. 10.* Id quoque consuetum, ut iudex propter multitudinem negotiorum, testimonium examen etiam in causâ criminali (nam de civili dubium non est, iuxta *c. 2. De iud. in 6.*) Notario com-

committat, uti testatur *Farinac. de testibus. q. 77. n. 598.* Porro tamen Notarij scripturæ propter officij eius obligationem magis credendam sit, quam testi, si postea neget talia se dixisse, nihilominus in causis criminalib⁹, alijsq; judicijs valde consultum est, ut testes etiam adhibeantur, siue iudex cum Notario, siue Notarius absq; iudice testes productos examinet, ut videlicet scriptura Notarij seu depositionum annotatione fidem pleniorē faciat, & oppugnari deinde non possit, si v. g. testes postea negarent se talia deposuisse, quâ de re *Abbas hic in fine capituli.*

Not. II. Testes diligenter examinandi sunt in primis de negotio rei gestæ, an sciant negotium gestum, & ut causam scientiæ dicant, quo sensu videlicet oculis, auribus &c. deprehenderint, sin autem res sensu perceptibilis nō est v. g. quod Titius sit dominus, tum aliâ causam scientiæ suæ afferre debent, quia v. g. legerunt testamentū, in quo ipsi Titio ager ille legatus erat, deinde examinari debent de loco, tempore & alijs circumstantiis pertinentibus ad facti declarationē & testium deprehendendum consensum vel dissentium; deniq; de famâ & relatione aliorū, ipsorumq; testium credulitate, id est, num credant, vel etiam certi sint, rem gestam esse, abstinendum tamen est non tantum ab incongruis, seu ad causam non pertinentibus, sed etiam à nimium exquisitis interrogationibus, consideratâ tamen qualitate personæ, quæ examinatur, uti videre licet apud *Farin. q. 73. n. 26. & 48.* addit hic *Imolan. 6. Abb. n. 13.* Si testis persona ignota sit, saltem generatim examinari posse, num sit criminosa vel aliter inhabilis ad testificandum. item an sit diues &c.

CAPITVLVM XXXVIII, Veniens.

PARAPHRASIS.

Archidiaconus Claremontensis electus fuerat in decanum, cum autem aliqui è capitulo se ei opponerent, causa commissa fuit iudicibus, qui latâ sententiâ pro Archidiacono, eâ ex parte mandârunt executioni, petebat itaq; à Pontifice Archidiaconus, vt iuberet totam sententiæ executionem

fieri, sed alii procuratores se opposuerunt, eò quod sententia iniussè, & post interpositâ ad Pontificem appellationē promulgata fuisset; cum autem Archidiaconus procuratores nec admittere, nec eis respondere vellet, quod videlicet excommunicati essent, prodiit Petrus Subdiaconus asserens se in Decanum Claremontensem electū esse, id eòq; decanatum ad se, non ad Archidiaconum pertinere, tunc Pontifex interlocutus fuit, audiendū esse Petrum, si in continenti suâ intentionē probare posset, quod ubi testibus & instrumentis productis fecisset, Pontifex interlocuendo pronuntiauit Petri interesse, ac proinde se opponere posse; quare postquam lis inter Petrum & Archidiaconū contestata esset, tam super electione, quam super sententiâ prius pro Archidiacono latâ, quæ sitū fuit ex Archidiacono, num attestaciones, quæ super præcedente articulo, an Petri interesset, latâ fuerant, in hoc principali iudicio admittere vellet; respondit ille se admissurum, dummodò contra testium dicta & personas obiicere possit, sed Petrus dixit, quod attestacionibus illis uti noller, cum tantum super incidente articulo receptæ fuissent, lite non contestatâ, quare vel eisdem, vel alios testes se denuò producturum super causa principali; Archidiaconus autē ex aduerso opposuit, cum testes tam super sententiâ, quam super electione deposuissent, & depositiones publicatæ & cognitæ fuerint, non esse concessum alios testes super articulis eisdem producere. His omnibus consideratis respondet ac mandat Innoc. III. vt testes ex utrâque parte producendi super toto negotio recipiatur, & tam super causâ principali, quam super incidente pronuntietur, & quia ea, quæ in capitulo aguntur, nō facilius per alios, quam ipsos Canonicos nosci possunt, id eò Claremontensis Ecclesiæ Canonici ab excommunicatione absolui debent ad cautelam, vt testimonium pro utrâq; litigantium parte proferre queant.

SUMMARIVM.

1. Ob duas præcipuè causas sententia nulla est,
P P & eius

& eius executio retractari debet.

2. Sententiâ latâ, tertius cuius interest, eius executionem impedire potest, debet tamen ante litem contestationem saltem summarie probare, quod suâ interfit.

3. Post attestaciones publicatas, possunt adhuc testes super eodem articulo inter easdem personas produci, si agatur de alio modo, & ad alium finem.

4. Testes producti & non plenè recepti in iudicio summario, in ordinario plenam fidem non faciunt, nullam, si contra ea dicant, que in summario deposuerant.

5. Dicta testium horum possunt cõmuni consensu partium approbari, ut plenâ fidem mereantur.

6. Testis, de cuius excommunicatione dubitatur, prius ad cautelam absolvendus, quam ad ferendum testimonium admittatur.

1 **NOT. I.** Duæ sunt præcipuæ causæ, ob quas lata sententiâ nullius roboris est, & idè executio eius retractari debet. Prima, si lata sit post legitimè interpositâ appellacionem, quandoquidem appellatio suspendit iurisdictionem iudicis à quo. Secunda, si lata sit iniuste v.g. ex falsis instrumentis. *l. ult. C. si ex falsis instrum.* ita notat *gl. hinc. verb. Appellationem.*

2 **NOT. II.** Si sententiâ lata sit inter partes, tertius cuius interest, eius executionem impedire potest, sed antequâ admittatur ad iudiciû litisq; contestationem, in continenti probare debet saltem summarie ac leuiter, quod sua interfit, idq; procedit secundum *Innoc. hic. n. 1.* Si res à nemine possideatur, v.g. beneficiû (de quo contenditur) vacans sit, ut in casu huius capituli. At verò si res possessa fuisset ab vno; quæ alteri restitui deberet, tum executio sententiæ faciendâ esset, præstita prius indemnitate cautione illi, qui sua interesse ostendit, idq; ordinariè verum est; nõ itè si tertius ille hoc ipsum sua interesse summarie ostendat, ne possessio ad alium potentiorè transferatur, à quo postea difficilius recuperari queat, ut *Abbas hic notat n. 5. arg. c. Pisanis. 19. de restit. spoliat.* vide *Felinum hic,* & quæ dicuntur in *c. Cum super. 17. & c. pen. De sententiâ & re iudicatâ.*

3 **NOT. III.** Tametsi attestaciones publicatæ

cognitæ sint, possunt tamen testes super eodem articulo inter easdem personas produci, si agatur de alio modo & ad aliû finem. ita *Innoc. hic. n. 4. gl. verb. Vrag. pars. Abbas. n. 15. Farin. de testib. q. 75. n. 102. & seqq.* Exemplum habes hinc. nam Petrus prius testem super hanc electione & infirmitate sententiæ pro Archidiacono produxerat, ad ostendendum suâ interesse, postea verò admissus est ad testes producendos, per quos probaret sibi jus competere ad decanatum.

4 **NOT. IV.** Testes producti & non plenè recepti in iudicio summario, v.g. super incidente questione aut in possessorio iudicio fidem plenam non faciunt in iudicio ordinario, quare non oblatè publicatione iidem quoq; produci possunt super causâ principali, vel in petitorio iudicio. Ita *Joan. Andr. hic. in princ. Imola. n. 2. Felinus n. 19. Farinacius. n. 112.*

Limita & declara r. quod nihilominus attestaciones præsumptionem aliquam faciant, & idè allegari possunt à parte pro quâ factæ sunt, uti ex hoc capitulo colligitur.

2. Si testes in plenario iudicio dicant contra ea, quæ in summario deposuerant, fides ipsis habenda non est, secundum *gl. receptam Abbacem. n. 16. Felinum. n. 20.*

3. Quod partes cõmuni consensu approbare possint dicta testium, ita ut plenam fidem mereantur, sic uti ex hoc cap. colligitur, & docet *gl. recepta. verb. Veller. Hostiensis & Imola hic. n. 2.* quod partes minus sufficientibus probationibus se submittere possunt.

5 **NOT. V.** Testis, de cuius excommunicatione dubitatur, prius ad cautelam absolui debet, què iudiciale testimonium proferre permittatur, sed bene monet *gl. fin. hic* requiri aliquam causam necessitatis, cur excommunicati, præmissâ absolutione, in testes admittantur, quia v.g. alii tam idonei haberi non possunt, ut in casu huius capituli, siquidem capitulares magis esse censentur ea, quæ in capitulo gesta sunt.

CAPITVLVM XXXIX.

Tuis.

PARAPHRASIS.

Monachi & Conuersi in causis propriis monasterii

nasterij possunt quidem testes produci, sed eorum testimonium absque iuramento non recipitur, nisi ipsis à parte aduersariâ remittatur.

S Y M M A R I V M.

1. *Iuramentum testibus ex partium consensu expresso, in causis civilibus remitti potest.*
2. *Non autem iuramentum Calumniae, nisi sit persona, de quâ suspicio non sit, quod falsum dicere praesumat.*
3. *Actori & Reo omnino remitti non potest expressa conuentione.*
4. *In causa matrimoniali, cum agitur de eius valore, partes iuramentum testibus remittere non possunt.*
5. *Quin iudex in casu quo agitur de periculo animae, aut jure publico, etiam partibus contradicentibus, testes ad jurandum cogere potest ac debet.*
6. *De jure iuramentum testium debet esse corporale, de consuetudine aliter fieri potest, & in personis fide dignis, sola subscriptio aut commonefactio fidei suae sufficit.*

Not. vn. Iuramentum testibus ex partiû consensu expresso in causis civilibus remitti potest, ita docet *Hofstiensis. Abbas Felinus & alii. in c. Nuper. si. hoc tit. cum gl. verb. Contradicente*, nam hoc conforme est juri naturali, vt quis contentus sit in propriû prejudicium fidem haberi simplici alterius assertioni. *arg. l. ult. eod. de fideicommissis. necesse tamen est, vt utraq; pars litigantiû iuramentum testibus remittat, cum vtriusq; interfit, id eoque locum habeat juris regula 19. in 6. quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, & ita docet Io. And. hic. n. 1. Abbas n. 4.*

Dixi autem etiâ expresso partiû consensu remitti posse iuramentum testis de dicendâ veritate, in quo differt à juramento calumniæ (vt *Abbas hic tradit n. 6.*) aut dicendâ veritatis, quod pars litigans præstare debet. vti constat *ex c. 1. De juram. calumn. in 6.* nam talis pactio seu remissio iuramenti calumniæ, id est, vt de calumniâ inferendâ iurari non debeat, videtur ansam præbere, calumniâdi, & jus publici iudiciû violâdi, id eod contra bonos mores, ac turpis talis remissio censetur.

argum. l. Illud. s. ff. de pactis dotalibus, vbi dicitur irritum esse pactum, quo aliquis invitari possit ad delinquendum v. g. vt propter res iniuste amotas actio non competat, at verò remissio iuramenti non invitat testem ad peccandû, cum simplex promissio apud bonos viros instar iuramenti esse soleat, si tamē partes inter se convenirent, vt neq; simplex promissio de veritate dicendâ exigi queat, tunc videtur tale pactum esse contra bonos mores, nisi fiat propter auctoritatem & excellentem fidem personæ, de quâ non possit esse vlla suspicio, quod falsum dicere praesumat. Alia verò ratio est de Actore & Reo, cum enim ij ob propriû interesse in iudicio litigent, facilius eorû animus corrumpi potest, id eoque ipsis iuramentum expressâ conuentione remitti non potest, sed testis non habet incitamentum falsum dicendi in causa aliena seu ad ipsum non pertinente.

Corollarium: in causâ matrimoniali cum agitur de valore matrimonij, siue de eius impedimento dirimente, partes non possunt testibus remittere iuramentum, sicuti *glossa hic communiter recepta notauit verb. Remittatur*, idque propterea quia hic vertitur periculum animæ, & irreuerentia Sacramenti; quâ simili ratione dicitur *in c. Super eo. s. de eo, qui cognouit &c.* quod matrimonium separandum non sit eod solùm, quia vterque coniux confitetur inter ipsos affinitatem ante nuptias interuenisse. Quamobrem rectè docet hic *Felinus n. 4. Gail lib. 1. obseru. 101. n. 5.* quod in tali casu, quo de periculo animæ aut jure publico agitur, iudex etiam partibus contradicentibus testes ad jurandum cogere possit ac debeat.

Querunt hic *Abbas, Felinus & alii*, vtrum à teste exigendum sit iuramentum corporale, videlicet tactis sacris Evangelij. Responso est affirmatiua, quæ colligitur *ex c. Hortamur. penult. casu. 3. quest. 9.* Potest tamen per consuetudinem introduci vt aliter iuret, item vt in quibusdam fide dignis personis sola subscriptio aut commonefactio fidei suæ sufficiat, quâ de re *Gail. cit. disp. 101.*

num. 11.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

Inter Præpositum Ariensem & Comitissâ Flandriæ controversia erat super donatione præbendarum sacerdotalium; eam Papa commiserat Episcopo Attrebatensi, Abbati Dedimenesi, & Attrebatensi Decano, coram his Præpositus litem non contestando, asseueravit, Decani Attrebatensis testimonium sibi in hac causâ fore necessarium, quia non nisi per ipsum & aliū quendam testē de iure suo probare possit, idēque rogauit, ut iudices procederent in causâ, Decano remoto, aut processu superfederent, donec consultus Pontifex in locum illius alium iudicē subrogât, at verò iudices petitionē Præpositi reiecerunt, & eundem post interpositâ appellationem à præbendarū collatione suspenderunt. His re-latis Innoc. III. respondit, ne ob testis defectū iustitia Præposito denegetur, se Abbatem Vrsi campi in locū dicti Decani subrogare, mandans si ita est, sicuti narratum fuit, ut relaxatâ suspensione Præpositus, in causâ iuxta prioris mandati formâ legitimē procedant.

Videtur hîc actum esse de collatione præbendarum, quam liberè ad se pertinere contendebat Præpositus Attrebatensis; ea enim magis propriè donatio appellari potest, at verò Comitissa se opponebat dicens, præbendas esse patronatas, & jus patronatûs seu præsentationem ad se pertinere, licet *Io. Andr. Panor. & alij aliter casum intelligât.*

SUMMARIUM.

1. *Judex delegatus remoueri debet, si eius testimonium parti necessarium sit in ea causa.*
2. *Judex delegatus subdelegans statim initio totam causam alteri, potest in ea esse testis.*
3. *Ordinarius iudex in casu necessitatis, potest admitti in testem in causa, qua coram eius Vicario vel Delegato ad Vniuersitatem causarum agitur.*
4. *Imò propter necessitatem admittendum est*

testimonium delegatis coram delegato in particulari causa.

NOT. VII. Judex delegatus remoueri debet, si eius testimonium parti necessarium sit in eâ causâ: ratio est, quia facilè reperietur alius iudex, sed testis alius, qui causam ita cognitam habeat, non tam facilè reperiri poterit, quare ne jus partis ob defectum probationum pereat, succurri debet per alterius iudicis subrogationem. Debet tamen pars iudicis amotionem petere ante litis contestationem, nam per eam censetur in iudicem consensisse, ut postea nisi ex nouâ aut nouiter cognitâ causâ amotionem petere non possit, uti *Abbas hic monet n. 3.* deinde necesse est præmitti aliquam causæ cognitionem, quòd alterius iudicis testimonio opus sit, adeòque alius ei subrogari debeat, ut in textu huius capituli colligitur.

Queritur 1. Vtrum duo illi iudices procedere potuissent absque tertio, qui in testē assumptus fuisset. Respondet rectè *gloss. hic. verb. Excluso*, si delegati fuissent cum clausulâ: *si non omnes potestis*, &c. tunc potuissent, uti colligitur ex *c. Prudentiam. 21. & c. penult. de off. delegati*, nam hæc censetur juris impotentia, si necessarium sit iudicem ad testimonium ferendum produci, ne jus partis pereat, sin autem sine dictâ clausulâ delegati sint, tunc à delegato peti debet, ut alius subrogetur, sicuti hic factum est.

Queritur 2. Si iudex delegatus causam alteri subdelegât, vtrum in testem adhiberi possit. Resp. cum *Joan. Andrea hic, Abbate, n. 8.* Si statim ab initio in totum subdelegauit, adeòque iurisdictionem, quâ nunquam in eâ causâ vsus fuit, omnino à se abdicauit, tunc potest esse testis, se cui si ex parte tantum subdelegauit, seu aliquid sibi iurisdictionis retinuit, iuxta *cap. Iudex. de offic. delegati in 6.*

Queritur 3. Si Ordinarius iudex propter necessitatem, ne veritas occultetur, testimonium dicere debeat in causâ, quæ coram Vicario eius agitur, vtrum possit admitti. affirmandum est cum *gl. communiter receptâ. Abbate, n. 11. Immo n. 3. Felin. n. 2.*

Ratio

ratio dari debet, quia ordinarius totam iudicandi liberam voluntatem vicario permittit, nec se immiscet, nisi quod causam ad se reuocare possit, sed tunc in isto casu alteri committere deberet, & non suspecto, sicut in casu simili docet *gl. in c. Querelam. 24. verb. commisit. de electione.*

Idemque dicendum, si Ordinarius coram delegato suo ad vniuersitatem causarum testimonium dicere velit, admittendum esse. *argum. l. Est receptum. 24. de iurisdic. omnium iudicum.* imò probabile est, quod docet *Abbas. l. c. n. 8.* propter necessitatem admittendum esse testimonium delegantis etiam coram iudice delegato in causâ particulari, propterea quod delegans actualiter partes iudicis non agat, & si vel reuocare velit concessam iurisdictionem, vel si ad eum appellatur, tunc alteri cogetur causam committere, si testis ipse officio functus fuit.

CAPITVLVM XLI.

Significauit.

PARAPHRASIS.

Quidam laici fundarunt Ecclesiam S. Nicolai, volentes, vt libera sit eius collatio, atque vt ipsi & successores sui nihil iuris in Ecclesiâ quoad præsentationem &c. habeant, sed quia super hoc instrumentum publicum factum non erat, rector eius Ecclesie petiit ab Innoc. III. vt prohibitionem faciat, ne temporis successu probationum copia depereat, idè mandat Papa iudici Sabinensi, vt testes idoneos, quos rector produxerit, diligenter examinet, eorumque dicta in publicum referat instrumentum, prius tamen hoc denuntiet fundatoribus, aut successoribus eorum, vt receptioni testium interesse possint, si velint, atque super hanc ipsam denuntiatione, quod videlicet facta fuerit, publicum conficiatur instrumentum.

SYMMARIVM.

1. Fundator potest renuntiare iuri suo, quod

ex fundatione sibi quasitum est. Manebit tamen nihilominus Patronus Ecclesie, neque eius curam omnino deferere potest.

2. In periculo ne quis super iure suo conueniatur, aut ius eius impetatur, peti potest vt receptis super iure illo testibus, publicum instrumentum conficiatur.
3. Ad receptionem testium & publicationem attestationum citandi, quorum interest. Si non compareant, nihilominus procedi potest.
4. Cautela in conficiendo instrumento adhibenda.
5. In factis antiquis præsumuntur interuenisse solemnitates etiam extrinsecæ propter probandi difficultatem.

NOTA I. fundator potest renuntiare iuri suo, quod ex fundatione consequitur ad præsentandum & alimenta petenda, si ad inopiam deuenit, ipse aut hæredes eius, nihilominus tamen permanebit Patronus Ecclesie, quam fundauit, vt proinde eius curam deferere omnino non possit, quamobrem etiam honor ipsi vt Patrono debitus negari non debebit, vide quæ dixi *lib. 4. Tb. Mor. Tract. 2. cap. 13. q. 4.*

NOTA II. Si periculum aliquod esse possit, ne quispiam conueniatur, aut ius eius impetatur, tunc petere potest, vt testes recipiantur ac publicentur super iure suo, atq; ex depositionibus instrumentum publicum conficiatur ad perpetuam rei memoriam, ita etiam habetur in *l. ult. de usuris pupillaribus.*

Loquor in casu, cum periculum est, ne quis aliquando, cum minimè expectat, aut probationibus instructus est, in iudicium trahatur, seu ius eius impetatur, vt in casu huius capituli, nam Patronus seu qui Ecclesiam fundauit, intentionem etiam suam fundatam habet, quod ad ipsum pertineat ius præsentandi, quamobrem Ecclesia securam non esset de sua libertate, nisi per testes aut instrumenta eam ostendere queat, sed quia testes temporis progressu moriuntur, idè maturè prouidendum est Ecclesie per publicum instrumentum.

Non autem loquimur de actore seu qui jus

ius habet quidpiam petendi; huic enim ordinariè postulare non licet, vt testes recipiantur super causâ, cum is arbitrato suo agere possit, neque conueniens sit, vt causâ actoris priùs instruat, quàm inchoët & ordinariè testes actoris, lite non contestatâ, non recipiantur iuxta ea, quæ dicta sunt in *c. ult. vt lite non contestata*, quòd si verò casus accidat, vt actio intentari non possit, nisi priùs receptis ac publicatis testimoniis, tum & actor petere id poterit v.g. hæres, qui vult agere ex testamento, sicuti ex Hostiensis docet *Felinus. hic. n. 7. Imola. n. 3.*

3 Not. III. Cum testes recipiuntur ac publicantur ad perpetuam rei memoriam & securitatem alicuius, debet parti alteri, cuius interest, denuntiari, vt veniat & intersit, quòd si adesse nolit, aut legitimè citata non compareat, nihilominus in negotio proceditur, vt hic & in *cir. l. ult. vbi Salicetus ait*, quòd reus non possit compellere eum, qui se creditorem eius dicit ad agendum, sed possit petere, vt testes examinentur ad perpetuam rei memoriam, vel possit petere à iudice vt actori illi seu creditori præfigatur tempus, intra quod agat.

4 Adde consultum esse vt in instrumento ponatur parti aduersè legitimè denuntiatum fuisse, vt receptioni testium intersit, cum enim ea extrinseca sit actui, interuenisse non præsumitur, sed ab asserente probari debet, vt docet hic *gl. finalis. Abbas in c. Albericus. n. 6. hoc tit.* & sumitur ex *l. Quacunque. 13. ff. de Public. in rem act.* vbi dicitur, ei, qui à pupillo se emisse ait, probandum incumbere, quòd tutoris auctoritas interuenerit, vbi rationem dant DD. quòd hæc sit extrinseca solennitas, quæ non præsumitur, sed probari debet. Alia verò est solennitas intrinseca siue substãtialis actui, vt si quis fateatur testamentum factum esse, præsumitur legitimum numerum interuenisse, aut si quis fateatur emancipationè factâ, præsumitur omnia solenniter acta fuisse. *l. Ab eâ parte. 5. ff. de prob. §. ult. Insti. de fideiuss.* excipiunt tamen DD. hic apud *Felinum. n. 7.* quòd in factis antiquis præsumuntur interuenisse solennitates etiã extrinseca propter probandi difficultatem.

Dicit aliquis, etiam Presbyter nomine Ecclesie agere potuisset actione negatoriâ in re, vt declararetur Ecclesiam liberâ esse scilicet alteri jus nullum in re competere iuxta *l. Etsi forte. 5. §. Sciendum ff. Si seruus vindicetur.* Resp. licet agere posset, non tamen ad id obligatur, sed potest sibi remedium opportunius eligere defendendi se, seu potius prouidendi sibi aduersus futuram actione alterius.

Dico itaque breuiter, quòd Presbyter in hoc casu agere possit & non agere, puta tamen securius esse non agere, sed tantum prouidere, ne contra ipsum agatur, ita cum Hostiensis docet hic *Imola, columnâ. 2. Abbas & Felinus. n. 5.* denique adiungit *gl. hic. verb. monumenta*, quòd Presbyter seu rector nomine Ecclesie suæ conditione ex lege, aut iudicis implorato officio, cogere debuisset Patronum, vt daret instrumentum promissæ libertatis, vt constat ex *l. Sicut. 21. C. de liberali causâ.* vbi dicitur, quòd Patronus, qui manumisit, manumissionis instrumentum præstare cogatur, vnde vniuersim colligunt DD. hic nominatim *Felinus. n. 8. Bart. in l. Si finita. §. Eleganter. n. 3. ff. de damno infecto*, quòd creditor si debitum recepit, vel pactum non petendi fecit, eius rei confessione scriptam seu apocham tradere debeat, cum id ipsi non obsit, alteri verò hoc profit, eumq; in suo iure securum reddat, iuxta *l. 2. ff. Solutio matrimonio.* quòd si verò accidat, vt etiã vicissim creditor v.g. dominus fundi, qui à colono pensiones accepit, satis securus non sit, ne fortè successu temporis fundum vt proprium sibi vendicet, tunc cogi potest ad dandam antapocham gegen Revers / seu gegen Verschreiben per quam confitetur se pensionem quot annis soluisse, vt ita facultas præscribendi tollatur. *l. Plures. 19. de fide instrum.* & videri potest *gl. in l. ult.* vbi notatur, quòd apocha datur à creditore debitori, antapocha à debitore creditori.

CAPITVLVM XLII.

Cum causam.

PARAPHRASIS.

Monasterium S. Martini vendiderat quaedam

dam possessiones ciuibus Viterbiensibus, sed quia se lasum existimauit ultra dimidium pretii iusti, actionem mouit emptoribus, ex remedio legis 2. cod. de rescindenda vendit. vt vel contractus rescindatur, vel iustum pretium suppleatur, cum autem Monasterium lationem vltra dimidium iusti per testes probasset & in iudicio obtinuisset, ciues Viterbienses elegerunt alteram partem, vt pretium iustum supplerent, sed quia neque de pretio iusto conuenire poterant, dubitabatur, num monasterium eosdem testes, qui antea de latione vltra dimidium iusti absolute deposuerunt, facta publicatione, denudò producere possit, vt deponant super valore iusto possessionum, ad hoc respondet Innoc. III. omnino esse admitteudos, quia non super eodem articulo producuntur, cum aliud sit probare deceptionis excessum, aliud verò probare quantitatem valoris.

S V M M A R I V M.

1. Venditor agens ex l. 2. de rescind. vendit. & c. 3. de Except. tantum probare debet, se vltra dimidium pretii iusti lasum esse, vt rescindatur venditio, vel suppleatur pretium.
2. Publicatis attestationibus testes iidem produci possunt super articulo connexo tamen cum antiquis eiusdem cause.

NOTA I. Venditor agens ex lege 2. c. de rescindenda vendit. & c. 3. de except. tantum probare debet se vltra dimidium pretii iusti lasum esse, hoc enim probato rescindetur venditio, nisi emptor malit supplere, quatenus minus pretio iusto dedit, tunc verò disputandum erit de vero valore seu pretio iusto rei venditæ, illudque æstimabitur tum ex qualitate rei, loci opportunitate, ad quantitatem reddituum, qui inde prouenire solent, si de re immobili sermo sit, tum ex pretio similium finitimorum fundorum, secundum gl. Bart. & alios in cit. l. 2. gl. hic. ver. b. præterea per testes aut per peritos rerum æstimatores, qui si non conueniant in-

ter se, tum iudex arbitrari debebit, quod iustum & æquum est, vti tradit Menochius casu 143. Alciard. concl. 1225. n. 7.

NOTA II. Publicatis attestationibus testes etiam iidem produci possunt super articulo alio se u nouo pertinente tamen ad causam, seu connexo cum prioribus antiquis articulis, de hoc dixi in c. Fraternalitatis. 17. hoc tit.

CAPITVLVM XLIII.

Albericus.

P A R A P H R A S I S.

Albericus miles à putatiã vxore suã per capituli Rauennatenfis iudicium separatus fuit, aliamque deinde vxorem duxit, ex eãque liberos procreauit, sed quia sententia illa diuortii in scripturam redacta non fuerat, ipseque timebat, ne sibi, & liberis ex alterã muliere legitimè natis præiudicium aliquando generaretur, supplicauit Innoc. III. vt testes, qui diuortii latæ sententiæ interfuerant, recipi curaret, quamobrem mandat hinc Pontifex, vt testes super eã re recipiantur & depositiones ipsorum in publicam scripturam redigantur.

Videtur hoc tempore Sedes Rauennatenfis Archiepiscopalis Ecclesiæ vacasse, vt causa ista matrimonialis coram capitulo agitata fuerit; quia capitulum cathedrale vacante sede exercet omnem iurisdictionem Episcopalem. c. Cum olim. 14. de maioritate. vide quæ dicam in c. Præterea. 7. de testibus cogendis.

S V M M A R I V M.

1. Videtor causa petere potest, vt super sententia lata instrumentum conficiatur ad perpetuam rei memoriam.

NOT. Vnicum. Consultum est, vt cum sententia ex scripto profertur, iuxta c. ult. de sent. & re iudicatã in 6. testes adhibeantur; tunc verò petere potest is, pro quo sententia la ta

lata est, ut instrumentum super hoc edatur ad perpetuam rei memoriam, aut si id statim factum non fuerit, postea implorato iudicis officio consequi id debet victor causæ, ut denuò vocatis testibus super latâ sententiâ instrumentum publicum manu & sigillo notarii conficiatur, consentiant ea quæ dixi c. 41. hoc tit.

CAPITVLVM XLIV.

Cùm in tua.

PARAPHRASIS.

Cùm vir & mulier matrimonium contrahere vellent, Parochus inquisitionem fecit, num consanguinitatis vel affinitatis impedimentum inter personas intercederet. iuxta c. ult. de clandestinâ despons. & apparuerunt 11. vel 13. propinqui integre fidei, qui omnes iurati testimonium tulerunt, non esse consanguinitate impeditas personas, earundem profapiam secundum gradus & personas distinguendo; sed cùm matrimonium contractum esset, quidam illud accusauit de impedimento consanguinitatis, producens in iudicio tres, vel quatuor testes, qui iurati id affirmârunt, quærebatur, num testes priores posterioribus an posteriores prioribus præferendi essent, respondit Innoc. III. tamen si testes, qui ante matrimonium auditi fuerunt, ad aliud, & ob aliud iurârunt, quàm testes post contractum matrimonium producti, in iudicio tamen, si illæ prius audita personæ eadem in iudicio iterum testarentur, tum earum testimonium præferendum fore tribus, vel quatuor affirmantibus de impedimento consanguinitatis; neque verò testes illi 11. aut 12. repelli possunt, eò quòd partes testificata jam didicerint; quia exceptio ista in hoc casu matrimoniali locum non habet.

S V M M A R I V M.

1. Testes deponentes in processu inquisitionis per modum denunciationis, non faciunt fi-

dem in processu Ordinario, nisi denuò iurati deponant.

2. Plures testes, si propinqui sint & idonei, negantes consanguinitatem, maiorem fidem merentur, quàm affirmantes pauciores, & non ita idonei.
3. Limitatur commune dictum: plus esse credendum duobus testibus affirmantibus, quàm centum negantibus.
4. Testes in sum. mario iudicio aut negotio inquisitionis, iterum in plenario recipi possunt ut plenam fidem faciant. In quo si iurati coram eodem iudice varient, eorum testimonium non valet.

Testis varians in eadem instantia, ordinariè statur eius priori dicto legitime depositio.

5. Referuntur Casus, in quibus oppositum sit.
6. Fides testis siue in eadem siue diuersa instantia variantis ante sententiam latam per interuallum debilitatur.
7. Publicatio testimonii non obstat in causa Matrimoniali.
8. Admittitur quilibet ad accusandum Matrimonium de impedimento dirimente.

NOT. I. Testes qui deponunt in processu inquisitionis per modum denunciationis, non faciunt fidem in processu ordinario, nisi denuò producantur ac iurati deponant, ita etiam sumitur ex c. Præterea, 7. tit. seq. 10. & docet Innoc. hic. ratio est, quia alio modo & ob alium finem producti fuerunt iuxta ea, quæ dicta sunt c. Veniens, 38. hoc tit.

Nota II. Si plures testes sint negantes consanguinitatem, iique propinqui & idonei ad testificandum, magis ipsis credendum est, quàm aliis affirmantibus, si numero pauciores, vel non ita idonei sunt, ita sumitur ex hoc c. & notat Io. Andr. hic. n. 4. Abbas. n. 5.

Corollarium: Quòd communiter dici solet plus esse credendum duobus testibus aliquid affirmantibus, quàm 100. id ipsum negantibus, limitari debet, nisi testes deponant de negatiuâ restrictâ ac determinata secundum circumstantias, ita ut fundetur super alia affirmatiua, exemplum habes hic, nam

nam undecim illi aut duodecim propinquosponsorum jurarunt inter personas contractantes seu coniunctas matrimonio impedimentum non intercedere, exhibentes utriusque profapiam secundum gradus singulos usque ad stipitem.

4 Nota III. Testes in summario iudicio aut negotio inquisitionis auditi, postea iterum in plenario recipi possunt, ut plenam fidem faciant, sed quid si diuersa deponant, & quidem iurati coram eodem iudice, seu Prelato. Resp. cum *gl. fin.* quod non valeat eorum testimoniū, *argum. c. Per tuas. 10. de prob. sin.* autem ponamus testem in eisdem iudicii instantia contrarium dicere, tum communiter loquendo, statur eius priore dicto legitime deposito. *argum. cit. c. Per tuas. de prob.* & docent DD. plerique: *Abbas hic. n. 9. Felinus. n. 4. Bart. in l. eos. ff. ad l. Cornel. de falsis. Farin. n. 15. 4.*

5 Excipe 1. Nisi in continenti testis dictum suum reuocet, aut corrigat, vel postea erroris sui probabilissimam rationem afferat, aut tam integræ fidei persona sit, ut ipsi credi debeat, asserenti se prius deceptum aut facti oblitum esse, quâ de re *Bart. in cit. l. eos. n. 4.* & alii apud *Farin. q. 66. n. 227.*

Excipe 2. Si Prior depositio extra torturam facta sit, præfertur posterior cum torturâ, ita docet hic *Abbas. n. 9. Felin. n. 3. Menoch. cas. 108. n. 14. Farin. n. 165.* est autem sermo, de iis personis videlicet milibus, quibus absq; tormentis fides non habetur.

3. Excipiunt *Abbas in c. Literas. de presumpt. Felinus hic. in fine.* si posterius dictum testis coniecturis adminiculatum sit, tum secundum præfertur.

Aduerti tamen debet, quod talis testis si erroris sui nullam probabilem rationem afferat, fateatur se periurum esse, & ideò fidem non mereatur, nisi in continenti errorem reuocet, uti dicitur in *c. Prætere. 7. tit. seq.*

6 Denique negari non potest, quin testimonium ac fides testis per reuocationem dicti, si ante sententiam latam per interualum facta sit, non nihil debilitetur, cum sit testis inconstans ac varius. *argum. l. 2. de te-*

stibus. & fateatur Abbas hic. n. 9. Felinus. n. 4. Farin. n. 164. & hæc omnia similiter locum habere videntur, si testis in diuersâ instantia iudicii contraria deponat, secundum *Abbatem hic. n. 9. in fine.* plura vide apud *Bart. cit. l. Eos. §. Quæro pro declarat.*

Not. IV. Non obstat publicatio testium in causâ matrimoniali, cum agitur de eius impedimento, quo minus testes super eodem, vel directè contrario articulo recipi debeant, quando quidem in tali causâ neglecta sententia obstat, cum non censeatur transire in rem iudicatâ. *c. Consanguin. 11. de sent. & re iudic. & notat Innoc. in fine huius c.*

Quæres: quisnam admittatur ad accusandum matrimonium de impedimento dirimente. Resp. cum *Abbate n. 3.* quod quilibet admittatur in ordine ad separationem, cum agatur de salute animarum & honore sacramenti. Pertinet itaque ad denuntiationem Canonicam, quæ contra Reos negantes impedimentum judicialiter instituitur, ita ut denunciator fiat actor seu prosecutor quasi accusationis; non enim est propriè accusatio, aut causâ criminalis, cum non tendat ad vindictam.

CAPITVLVM XLV.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Marcus Canonicus Surrentinus Archiepiscopum suum coram Innoc. III. de Simonix crimine accusare aggrediens, in primis protestatus fuit, Archiepiscopi consanguineos multa per potentiam suam iniecisse impedimenta, quo minus copiam probationum afferre potuerit, cum aliquos ad iurandum adduxerint, quod nollent contra Archiepiscopum testificari, alios autem minis à testimonio ferendo auertere nitantur; itaque Pontifex ex officio motus, mandat cuidam à se delegato, ut excommunicationis sententiam ferat in omnes eos, qui Marco impedimentum in testibus producendis iniicere præsumperint, illos autem, qui dictum iuramentum deposuerunt, pronuntiat

nuntiat eo obligatos non esse, quod si autem aliquis è consanguineis Episcopi aliquem testium à Marco producendorum impedire præsumpserit, tum ipsum quoque Archiepiscopum ab officio pontificali suspendat, donec efficiat, ut consanguineus ille à præsumptione sua cesset, quia non sit verisimile, quod talia à consanguineo fiant inuito Archiepiscopo, qui si vellet impedire, posset; quamobrè idem Archiepiscopus, secundum legitimas sanctiones (cæsareas) iniquam ostendit se causam fouere, & experiri debet iudicis auctoritatem à se elusam, dum defensionis copiam aduersario suo subtrahit.

SUMMARIUM.

1. Non est obligatorium iuramentum factum de non jurando coram superiore legitime interrogante.
2. Sciens & patiens ab altero aliquid fieri in suum commodum, & non prohibens, cum potest, censetur mandare aut approbare.
3. In dubio non presumitur scientia.
4. Coniectura, ex quibus scientia colligitur.
5. Resolvitur questio, an Dominus teneatur ex delicto famuli, vel officialis sui, negatiue.
6. Vnde Ordinariè Dominus aut Pater familias famuli vel domestici sui debitum vel damnum illatum prestare non teneatur.
7. Enumerantur modi, quibus dominus cause damni, aut delicti à famulo commissi, censetur.

NOTA I. Non est obligatorium iuramentum, si quis jurarit, quod præcipiente superiore iuramentum proferre nolit, dummodò legitime interrogetur, quã de re dixi in c. *Intimauit*, 18. hoc. tit.

NOTA II. Si quis patiat aliquid ab altero fieri in suum commodum nec prohibeat, censetur mandare aut approbare, ita sumitur ex hoc c. & c. *Sicut*, 33. iunct. gl. verb. *præbere*, de *Simon.* & l. *Remunerandi*, 6. ff. *Mandati*. si passus sim aliquem pro me fidei iurare, vel aliter interuenire, mandati teneor

(intellige, actione) & tradit ibi *Bart.* & docui l. 1. *Tract.* 2. cap. 3. n. 3. requiritur tamen ut is cuius nomine aut in cuius fauorem agitur, sciat rem agi, uti constat ex c. *Quia presulatus*, 5. causa. 1. q. 4. item, ut si vellet prohibere, posset.

Sed quid in dubio præsumi debet, sciueritne aliquis an ignorarit, quod v.g. fiat delictum famuli alteriusve domestici officialis aut consanguinei ad hoc, ut illi imputandum sit, qui non prohibuit, cum prohibere posset, ac deberet. Resp. cum gl. magna in c. *Cum ad sedem*, 15. de *restitu.* *spoliat.* *Baldo.* in l. *Ad inuidiam in fine*. C. *Quod metus causa*. *Felino*, c. *Petrus*, 12. n. 2. de *homicid.* quod in dubio non sit præsumendum, dominum scire, uti colligitur ex cit. c. *Cum ad sedem*, 15. verb. *interdictum iuncta gl. ver. b. obligatam*, ff. de *probu.* & reg. 46. in b. *presumitur ignorantia ubi scientia non probatur*, quæ regula maximè locum habet in ignorantia facti alieni.

Coniecturæ autem, ex quibus scientia colligi possit, variæ sunt, secundum qualitatem facti & circumstantiarum eius, præcipuè autem attendendum esse admonet *Abbas* in c. *Cum causam*, h. 2. & hic. n. 3. *Felino* cit. c. *Petrus*, n. 4. num factum sit successivum seu aliquamdiu durans, ita, ut probabiliter in domini, patrisfamilias, & amici seu propinqui notitiam venerit, an verò sit momentaneum, quod simul ac semel fit v.g. furtum, homicidium &c. illud præsumitur aliquis scire; idèmq; est, si delictum non semel, sed sæpius, aut cum pluribus & non omnino clam committatur, qui ipse est casus nostri capituli; sed in posteriori casu si v.g. famulus in fauorem domini occiderit inimicum eius, nulla circumstantia antecedente, ex quã præsumi queat dominum tale famuli propositum scivisse, non poterit ipsi adscribi seu imputari.

Simile quiddam est, quod tradit *Abbas*, c. *ult. n. 7. de consuetud.* & docui *libr. 1. Th. Mor. Tract. 4. cap. ult. n. 2.* quod actus continuitatem diuturnam habens æquiualeat actibus repetitis, idèoque sufficiat ad consuetudinem introducendam per consensum

sum populi præsumptum, & quod docet hic *Felinus. n. 4.* quòd vicinus censeatur scire gesta à vicino suo, si sint continuata; secus, si sint momentanea, nisi iterentur.

Porro ex traditâ doctrinâ resoluitur Resp. de qua propter varietatem casuum variè DD. loquuntur, vtrum dominus teneatur ex delicto famuli, aut officialis sui. Resp. Negatiuè: vt docui *lib. 3. Th. Mor. ir. 4. cap. 27. n. 2. & n. 6. §. Alia quidem.* & tradit ex communi *Felinus. cit. c. Petrus n. 20. legista in l. 1. de institoria actio- ne.*

Veruntamen si officialis excedat mandati fines, seu alia gerat, quæ ipsi à domino mandata non iunt, tum dominus, si extra culpam ipse sit, rata habere, aut damnum inde secutum præstare haud tenetur, vt habetur in *l. Penult. §. Seruus. De institoria act. & l. ult. C. quod cum eo qui in aliena potestate &c.*

Exemplum affertur in indice Stephani *Daoyz super jure Casareo verb. Famulus* si famulus à lanio vendente accipiat carnes, sed pecunias sibi à domino ad soluendum datas non numerauerit, habitâ ipsi fide de pretio; postea autem aufugerit, quæritur jam vtrum dominus iterum soluere debeat. Resp. attendendum esse, qualem consuetudinem dominus tenuerit in carnibus, & similibus rebus emendis; si enim ordinariè solitus fuit pecunias promptas numerare, non obligatur; sin autem consueuerit accepta fide de pretio talia accipere; tum obligatur, vt sumitur ex *cit. l. ult. & consentiunt, quæ dixi cit. c. 27. n. 6.* ratio est quia in priore casu famulus, seu officialis mandati fines egreditur, cum ad emendum solum constitutus fuerit; non item ad fidem de pretio impetrandam, ac veluti mutuum accipiendum, in posteriore autem casu censeatur ad vtrumque constitutus, aded, vt si dominus mutet propositum ac mandatum suum expressum, vel præsumptum, id iis, quibuscum per famulos seu officiales suos contrahit, significare teneatur, vt colligitur ex

l. Sed si pupillus. 11. §. de quo. ff. de institoria actione.

Respondendum est 2. Famuli, aut domestici delictum seu damnum illatum, dominus aut paterfamilias ordinariè præstare non tenetur, quæ est communis DD. sententia, cum enim Baldus, Felinus & alii supra citati docent, non esse in dubio præsumendum, quòd dominus sciat delictum famuli, & alii, cum docent non esse præsumendum, quòd delictum fiat ex domini voluntate, vt *Alciatus regula 3. præsumpt. 4. Mascardus. tom. 2. de probat. conclus. 1759. Tuscus. verb. famulus. conclus. 77.* hoc ipso supponunt, si dominus nullo modo consentiat in delictum, aut damni illationem, non obligari ex delicto, si quidem omnis restituendi obligatio oritur vel ex voluntariâ conuentione, vel ex culpâ, aut dolo, quorum vtrumque voluntarium aliquid requirit.

Nunc verò modi numerandi sunt, quibus dominus causa damni, aut delicti commissi esse censeatur. 1. Si censeatur tacitè consentire, approbare, adeoque mandare, vt fiat delictum quod intellexit famulum in suum fauorem commissurum esse. exemplum habes in *hoc. c.*

2. Si dominus, aut paterfamilias aduertat, famulos eiusmodi damna sæpius inferre & non prohibeat, & quandoque eos non amoueat, quod spectatis circumstantiis facere deberet; delictum, seu damnum ipsi imputabitur, cum non sit extra culpam v. g. si animaduertat, quòd inquilinus, aut famulus ignem incautè tractet, & huic malo occurrere intermittat, tenebitur de incendio per famulum suum, aliumuè domesticum illato, cum tamen alioquin dominus, si extra culpam sit, incendii damnum, quod famulorum, aut seruorum negligentia datum est, non teneatur præstare, vt expressè habetur in *l. Si vendita. 11. ff. de periculo. & commodo rei vendita.*

3. Si dominus famulos, aut officiales, quos sciuit, aut suspicari poterat, & debebat, imperitos, & non idoneos esse, vel ad nocendum inclinatos, aut aliquod officium, aut rem

gerendam destinasse, tenebitur de eorum delictis; secus autem dicendum, si officialis pro viro bono ac perito non immerito habebatur, sed præter opinionem sefellit, ut videtur est apud *Felinum*, in *cit. c. Petrus. n. 2. & seq.* & exemplum attuli de officiali seu vicario Episcopi, in quaestionibus de iurisdictione q. 106.

Quarto si quis aliquem præposuit administrationi, obligatur ex gestis eius circa eandem negotiationem, aut officium, dummodo fines mandati, seu commissionis suæ non excedat, ut docui in primâ responsione & *cit. cap. 27.*

CAPITVLVM XLVI.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Quaestio erat super matrimonio contracto inter principem Bohemæ & Marchionis Misniæ sororem, hæc perente Principe coram Episcopo Pragensi comparere volebat, ut suas actiones ipsamet proponeret, sed à satellitibus Episcopi bis, vel ter accessu prohibita fuit, & nihilominus licet ipsa ad Sedem Apostolicam appellaret, Episcopus in causâ procedens, diuortii sententiam promulgauit; à qua ipsa iterum appellauit. His ita per procuratorem dictæ principissæ & nuntium dicti principis Bohemæ Innocentio III. narratis, ipse causam hanc delegat Archiepiscopo Magdeburgensi & Præposito Seburchensi mandans, ut partibus ad locum idoneum conuocatis recipiat testes, quos vel principissa pro se, vel princeps pro se super processu Episcopi Pragensis, posteriorum uè iudicum, producere voluerint, quandoquidem testificata nondum didicerant, & cum dicta principissa productioni nondum renuntiârit, ideò non prohibeatur testes vel eosdem, quos prius produxerat, vel alios, si voluerit, introducere.

S V M M A R I V M.

1. *Publicatis & cognitis testificationibus in causa Matrimoniali, testes denuo produci nequeunt.*
2. *Renuntiatio productionis testium, etiam cognitis testificationibus impedit ulteriorem per testes probationem.*

NOTA I. Licet in causâ matrimoniali publicatio testificationum non obstat, quo minus testes denuo produci queant circa quaestionem principalem, cum in ea agatur de animæ periculo & honore Sacramenti, ut dictum est in *c. Fraternitatis. 17. hoc. tit.* obstat tamen promulgatio, ac notitia testificationum v. g. utrum priores iudices in ipsâ matrimoniali causâ rectè processerint; nam tunc non vertitur animæ periculum; cum etiam post latam sententiam testes produci queant super causâ principali. *c. Lator. 7. de sent. & re iudicata.* & aduertit *gl. hic. verb. didicerint. Imola, Abbas, Felinus & alii.*

NOTA II. Duæ diuersæ causæ sunt quæ prohibent testes de nouo produci, si vel testificationes promulgatæ cognitæ sint, vel si partes productioni testium renuntiârunt, ideòque in causâ conclusum sit, iuxta ea, quæ dixi in *cit. c. Fraternit.* & docent *Imola Abbas, Felinus in fine huius capituli.* quod renuntiatio vim conclusionis in causâ habeat, & ideò etiam non cognitis testificationibus ulteriolem per testes probationem impediat.

CAPITVLVM XLVII.

Licet.

PARAPHRASIS.

Olim consanguinitas & affinitas vsque ad gradum 7^o matrimonio impedimentum præstabat, quamobrem cum propter breuem hominis vitam testes de visu haberi non possent, necessarium erat in causis huiusmodi matrimonialibus etiam testes de auditu admitti, ut videtur est in *c. de parentelâ. 5. causâ. 35. q. 6.* sed

sed quia experientia docuit, multa exinde legitima matrimonia in periculum dissolutionis venisse, & quia iam eo tempore impedimentum consanguinitatis & affinitatis restrictum fuit, ut quartum gradum excederet, ideo statutum est in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. ut imposterum testes de auditu non recipiantur, nisi personae graues & fide dignae sint, & ante motam litem ab antiquioribus suis, seu ascendentibus, non uno, sed pluribus, saltem duobus acceperint, non ab infamibus, aut suspectis, sed dignis fide personis, nam absurdum foret, si ea testimonia de auditu reciperentur, quorum & auctores repellentur. Sed neque si vnus a pluribus, aut infames ab hominibus bonae famae audiuisse se dicant, ut plures & idonei testes reputari debent, cum secundum communem iudiciorum ordinem vnus testimonium, quacumque etiam praesidis dignitate fulgeat, sufficiens non censetur, infamibus autem actus legitimi interdicti sint. Insuper testes jurare debent, quod ad testimonium in ea causa ferendum non odio, amore, timore, aut commodo procedant, atque personas expressis nominibus, aliaue demonstratione, aut circumlocutione sufficienter designare, & singulos ex utroque latere gradus clare distinguere, ac iuramento denique suo concludere, quod a maioribus suis acceperint, quae deponunt, & quod credant ita esse. Sed neque idonei censentur tales testes ad deponendum de consanguinitate, nisi iurati testentur se vidisse tales personas, saltem in vno dictorum graduum constitutas, pro consanguineis se mutuo habere & agnoscerent, quandoquidem tollere abilius est, aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.

S V M M A R I V M.

1. Testes de auditu in factis antiquis probant, antiquum autem censetur, quod ante 100. annos factum est.
2. In causa valde ardua, vel magni praedicii,

non sufficiunt testes de auditu, nisi fama & alia adminicula concurrant.

3. Testis de auditu idoneus non est, qui post litem in iudicio motam, testimonium suum deponit.
4. Neque is qui deponit se audiuisse ab vno tantum, aut pluribus, sed infamibus ac fide indignis.
5. Testes deponentes de diuersis actibus adminiculantibus, & se mutuo adiuvantibus probant.
6. Et hi censentur esse testes singulares adminiculantes; in quibus casibus?
7. Infames in iudicio testari prohibentur.
8. In dubio preferendum est id, in quo minus periculi est.

Not. I. Propter necessitatem receditur a regulis juris communis, nam ordinariè testes deponere debent de visu seu alio sensu, debent enim testari de eo, quod nouerunt, notitia autem hominis ex sensu accipitur, qui autem deponit se audiuisse, is non ait se nosse rem ita habere, imò ex tali relatione non paritur ipsi notitia, siue scientia, sed quandoque fides, seu credulitas, ut videlicet credat verum esse, quod audiuit; necessitas autem cogit, ut in quibusdam casibus admittantur testes de auditu, videlicet si factum, de quo quaeritur, hominum, qui vivunt, aetatem ac memoriam excedat. Quamobrem communiter recepta est regula ex l. 2. §. idem Labeo. quod testes de auditu in factis antiquis probant, ut videre est apud Farinac. de testib. q. 69. n. 121. Mascardum volum. 1. concl. 104. censetur autem antiquum, quod ante 100. annos factum est. argum. l. ult.

Veruntamen si causa valde ardua sit, seu de valde graui praedicio agatur, ut in casu huius capituli ad matrimonij dissolutionem, cum testes de auditu sufficere non debent, nisi fama aut alia adminicula concurrant, uti docet hic Ioan. Andr. n. 3. Abbas. n. 3. Imola. n. 1. Farin. n. 135. & colligitur ex cap. 27.

hoc tit.

Not. II. Testis de auditu idoneus non est, si dicat se audiuisse post litem in iudicium deductam, sed deponere debet se audiuisse

diuisse, antequam lis mota sit, nam alioquin suspicio est, ne occasione litis deductæ in iudicium, rumor sparsus fuerit. *videri potest Mascard. conclus. 410. n. 29.*

- 3 Not. III. Testes de auditu non probant sufficienter, si deponant se audiuisse ab uno tantum, aut pluribus, sed infamis, seu fide indignis. Ratio est manifesta; cum enim testis vnicus de scientiâ non probet impedimentum, multò minus plurimi alij, qui acceperunt ab vno; neq; enim superare possunt fidem authoris sui, seu vt *Ioan. Andr. ait n. 4. Auhori, si fides non datur, nec eis, qui ab ipso deposuerunt.* Quare id etiã observandum in investigandâ probabilitate famæ, vt, quantum fieri potest, eius authores indicentur, si enim leues personæ sint, ita vt ne ipsis quidẽ præsentibus ac testantibus crederetur, multò minus famæ, quæ ab ipsis orta dicitur, credendum erit; veruntamen si de publicâ fama sermo sit, qui est consentiens sermoni maioris partis populi (vt videre est apud *Clarum in pract. crim. q. 6. n. 14. Mascard. conclus. 748. n. 2.*) eius origo difficulter plerumque reperitur, vñ glos, obseruauit in *c. Qualiter. 24. verb. à maleuolis. de accusat.*
- 4 De eo verò dubitatur, vtrum necesse sit, vt duo testes deponant, se ab eadem personâ, & quidem eodẽ loco ac tempore audiuisse, an verò sufficiat, si plures à diuersis personis se audiuisse dicant. *Gl. hic. verb. Ab vno,* quam Hostiensis sequitur, & ait, si plures sint testes, & quilibet eorũ audiuerit ab alio, *quã aliter,* non valiturum testimonium; & probari solet inde, quia erunt testes singulares, cum singuli deponãt de singulis ac distinctis maiorum suorum relationibus. Sed contrariũ re-
ctius sentit *Innoc. hic. Abbas n. 9. latè Felin n. 2.*

- 5 Pro cuius intellectu advertendum ex eodem *Felino & Farin. de testibus. q. 64.* quòd singularitas testium alia est aduersatiua, videlicet si dicta eorum inter se repugnent; alia diuersificatiua, si testes deponant de actibus non contrariis, sed diuersis se mutuo non adiuvantibus, cuius exemplum habuimus in *c. Cùm tu. 16. hoc tit.* Alia denique adimiculans, si testes deponant de actibus diuersis, sed mutuo se adiuvantibus ad pro-

bandum id, quod quæritur, id verò dupliciter contingit, 1. si quærat de facto suapte naturâ successiuo ac iterabili; aut habẽte extensionẽ, seu partes, ex quibus totũ coalescit. Exemplum habes, si quærat, vtrum Clericus sit familiaris huic feminae, aut si quærat, num Titius hesternâ die fuerit in vrbe, & vnus testis testetur quòd viderit eũ horã 1. diei; alter hora 3. vt docet *Farin. q. 81.* item si quæstio sit de possessione v. g. juris decimarum, sufficit si vnus testetur de vno actu; alter de alio actu. vt docui *lib. 3. Th. mor. tr. 6. c. 4. q. 3. in fin. & tradit Felin. vers. 2. limita. & c.*

Et simile est, si quærat de exercitiõ jurisdictionis, aut seruitutis alicuius, testes deponentes de diuersis actibus censerì debent adimiculantes, & se mutuo adiuvantes, vt *Innoc. Abbas & Felinus annotant.* 2. modo testes singulares adimiculantes censerì debent, si non de vno particulari seu speciali facto quæstio sit, sed indefinitè, ac veluti generatim, videlicet, num Titius aliquando confessus fuerit delictum, seu de eo gloriatus, tunc si plures testes de diuersis confessionibus deponant, censentur mutuo se adiuvare, vt monet *Farin. q. 64. n. 131.* idque adhuc clariùs apparet in casu huius capituli; non enim particulatim quæstio est de relatione seu confessione vnus hominis, sed absolute ac veluti generatim, vtrum nemo fuerit inter maiores de consanguinitate confessus, aut testificatus, quo casu testes singulares adimiculauerit probati, quia licet materialiter de diuersis deponant, tamen quodãmodo de eodem, quia omnes testantur id, de quo per se ac principali intentione quæritur, si respectu eiusdem finis, ait *Felinus hic,* testes concordent, licet tempore & in actibus discordent, sufficit, quia varietas temporis & actuum non diuersificat id, de quo substantialiter quæritur.

Veruntamen negari non debet testes aptius & melius probaturos, si plures deponant, se à pluribus iisdem audiuisse, vt materialiter etiam contestes sint, interim tamen non debet hoc poni, vt requisitum universè ac semper necessarium, cum neque Pontifex omnia requisita exactè in hoc capitulo e-

nume-

numerare instituens, huius meminerit; quare locum hic habere debet responsum Adriani Imp. in l. 3. §. eiusdem. de testibus: Hoc ego solum tibi scribere possum summam, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quod aut credas, aut parum probatum tibi opineris, videri potest *Abbas hic. n. 11.*

7 Not. III. Ferre testimonium in iudicio est actus publicus & legitimus; quamobrem infames, qui a publicis & legitimis actibus repelluntur, etiam testari in iudicio prohibentur, ut hic apparet & significatur in l. 1. ff. De testib. verum, officium testis non debet censeri publicum, ut bene monet *Abbas in rubric. tit. seq. Gal. lib. 1. observ. 100. n. 2.*

8 Not. IV. In dubio preferendum est id, in quo minus periculi est; quare si agatur de matrimonio contrahendo in dubio consanguinitatis, alteriusve impedimenti, prohibendum erit matrimonium, iuxta ea, quae docui *lib. 1. Th. mor. tit. 1. cap. 5. n. 23.* Sin autem agatur de matrimonio, quod contractum est, dissolvendo, in dubio pronuntiandum erit pro matrimonio, maxime si impedimentum ex positivo humano jure proveniat, iuxta dictum Innoc. III. *tolerabilis est &c.* Sed et si ex divino jure proveniat, tamen coniuges, qui in bonae fidei possessione haec tenent, separandi non essent manente dubio, iuxta ea quae docui *cit. cap. 5. n. 24.*

CAPITULUM XLVIII.

Per tuas.

PARAPHRASIS.

Controversia erat inter Canonicos S. Petri & Guilielmum, is tribus mensibus a tempore, quo testes publicati erant, eosdem denuo audiri postulavit. iudex dubitans, utrum recipere deberet, Honorium III. consuluit, qui hic respondet, recipiendos iterum non esse, praeterquam si Guilielmus super certis interrogatoriis testes examinari petiverit, idque a iudice malitiose, aut negligenter omisissum fuerit.

SUMMARIUM.

1. Publicatione facta testificationum, iidem

testes super iisdem articulis ordinariè recipi non possunt. Exceptio una habetur in textu huius capituli.

2. Testis denuo recipi petens, ut prius dictum corrigat, non audietur, nisi in continenti fiat.

3. Recipi potest, si dicto priori aliquid addere, v. g. circumstantiam ex oblivione omissam velit. Minor tamen ei fides habebitur, quam si in principio dixisset.

Not. vn. Facta publicatione depositionum, iidem testes super iisdem articulis recipi non possunt, ordinariè loquendo; nam idem est subornationis periculum, siue iidem, siue alij testes post factam publicationem producantur. Exceptionem unam habes in textu, aliam in c. Cum clamor. 53. hoc tit.

Sed dubium est, utrum iidem testes produci possint ad examen, postquam semel examinati fuerint, attestationibus nondum publicatis.

Resp. & Dico 1. Si testis denuo recipi postuletur, ut prius dictum corrigat, non audietur, nisi id fiat in continenti secundum iudicis arbitrium. c. Praeterea. ubi Innoc. & Ioan. Ant. verb. In continenti.

Dico 2. Si testis denuo recipi petatur, non ut corrigat, sed ut addat, quia circumstantia ad rem pertinentem edicere oblitus sit, tunc iudex permittere poterit, si iusta ratione petitio subnixta videatur, ita tamen, ut minor ei fides habeatur, quam si in principio dixisset, vel in continenti addidisset, sicut docet Innoc. loc. cit. n. 3. *Abbas hic. colum. 2. Felin. n. 2.*

Dico 3. Certum est, quod in casibus, quibus testes iidem recipi possunt aut debent, post publicationem testificationum multo magis recipiendi sunt clausis testificationibus.

CAPITULUM XLIX.

Licet.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Episcopum Burgensem & Clericos S. Mariae, coram Cardinali, quem Honorius III. dedit auditorem causae, coram eo Procurator Episcopi dixit,

dixit, quòd contra personas testium ab adversà parte productorum velit testes reprobatorios producere; super hoc consultus Pontifex respondit, eos admittendos esse; quòd si autem hos testes reprobatorios, adversa pars vicissim reprobare velit, etiam isti admitti debent, sed non ulterius fieri potest reprobatio testium reprobatoriorum.

S U M M A R I U M.

1. *Testes probatorios, & eorum reprobatorios reprobare licet, non autem reprobatorios reprobatoriorum.*
2. *Testes reprobaturus, crimina aliòsue defectus specificè exprimere tenetur.*

NOt. vn. Testes probatorios, & horum reprobatorios licet reprobare, sed reprobatorios reprobatoriorum reprobare amplius non licet, tamen verò textus loquatur de reprobatione personarum obiiciendo ipsis, quòd ad ferendum testimonium inhabiles sint, idem tamen eadem ratione sentiendum, si reprobetur eorum dicta. Exempli causà, testes Titij deposuerunt jurati, quòd ædes venditæ sint Caio Augustæ Calendis Februarij. Ad hos testes de periurio & falsitate convincendos Caius ex adverso producit testes, qui jurati deponunt ipsa Caium eodem die fuisse Tridenti. ad hos reprobatorios testes vicissim de periurio & falsitate convincendos Titius producit, qui jurati deponant, quòd testes illi Tridenti eodem die non fuerint, sed Romæ, idèòque mentiatur, hoc casu testes Caij sunt reprobatorij reprobatoriorum, & idèò admittuntur, sed ulterius reprobatio non admittitur, ne in infinitum fiat progressus, sed litium deniq; aliquis finis sit. Et hoc exemplum procedit, si actor tantum testes produxit super causà principali; sin verò etiam reus seu super causà principali, seu super exceptione testes probatorios produxit, tunc illi reprobari possunt per alios testes, & hi reprobatorij testes actoris, iterum per alios testes à reo producendos reprobari, hic autem sistitur, ita ut quarta testium productio non admittatur. sicuti explicat *gl. hic. verb. Quos.*

his adde, quòd qui testes reprobare vult, crimina aliòsue defectus specificè exprimere teneatur, uti habetur *in c. 2. in 6. eodem tit.*

CAPITVLVM L.

Præsentata.

P A R A P H R A S I S.

Archidiaconus Sueffionensis litem habuerat super iurisdictione, quam sibi competere dicebat in Ecclesiam S. Petri; & ex partium videlicet dicti Archidiaconi, atque Capituli S. Petri consensu compromissum fuit in 3. arbitros, qui in eà causà eò usque processerunt, ut testium receptorum depositionibus publicatis & actis omnibus in scriptum redactis, ac sigillo munitis arbitrium proferre deberent, tum vnus ex arbitris vita excessit, alter in Archiepiscopum assumptus, amplius 12. dierum itinere distabat, quare cum tertius solus arbitrium dicere non posset; videbatur exspirasse compromissum, eapropter ad petitionem successoris in archidiaconatu, (prior enim Archidiaconus mortuus erat) Honorius III. causam hanc iudicibus delegat, ut eam definiant optione relicta capitulo S. Petri, num malint depositiones testium coram arbitris admittere, an consentire, ut testes denuò recipiantur, saluo jure, quod in vtroque casu Capitulo competit, obiiciendi contra testium personas ac dicta.

S U M M A R I U M.

1. *Compromissum nomine Ecclesia vel dignitatis factum, transit in successorem, ut eo stare teneatur, modo superioris consensus interuenerit, non item compromissum actiue factum.*
2. *Arbitro procul discedente, nec breui redituro, soluitur compromissum.*
3. *Acta coram arbitris, qua factum & merita causa concernunt, fidem faciunt coram iudice Ordinario, aut delegato. Depositiones testium admitti possunt, si velut adversarius.*
4. *Acta liris ordinaria repeti debent, coram iudice.*

Not.

1 **NOT. I.** Compromissum, quod nomine Ecclesiæ, aut dignitatis factum est, transit in successorem, ut eo stare teneatur, sed requiritur, ut superioris consensus, seu autoritas interuenerit. *juxta c. 2. c. Veniens 7. de transact. & docent hic Abbas & Felinus n. 1.* at verò compromissum actiue factum v. g. in Abbatem S. Nicolai, illo mortuo non videtur transire ad successorem, cum censetur electa industria persona. *Argum. c. ult. de arbitris. & tradit hic Imola n. 7. Felinus n. 1. & videri potest Innoc. c. ult. de offic. delegat.*

2 **Not. II.** Si arbiter in partes remotas discesserit, nec breui tempore rediturus sit, tum soluitur compromissum, sicuti soluitur per mortem arbitri *c. ult. de offic. Delegati. & docet gl. hic communiter recepta, verb. Solo. & verb. Arbitrorum. colligitur ex l. Si longius. ff. de judic. atque hoc casu recurri potest ad iudicem ordinarium, vti litem definiat, sicut colligitur ex l. penult. C. de arb. & tradit hic Ioan. Andr. n. 6. Abbas & Felin. n. 1.*

3 **Not. III.** Acta coram arbitris, si respiciant factum & merita causæ, fidem faciunt coram iudice ordinario, aut delegato. verumtamen quod attinet ad depositiones testium, in optione aduersarii est, vtrum eas admittere malit, aut si testes adhuc viuant, iterum coram iudice produci. ita hic & clarissimè in l. ult. de testibus. & in cit. l. penult. quamobrem etiam confessio coram arbitris, facta tanquam judicialis, valebit, & allegari poterit coram iudice, vti bene hic docet *Imola n. 9. Felinus n. 11. & satis significatur in cit. l. penult.* porro quod acta litis ordinaria repeti debeant coram iudice, communiter testantur *DD. hic.*

CAPITVLVM LI.

Nuper.

PARAPHRASIS.

Adamus Presbyter Ordinem Minorum ingressus probationis causâ, iterum exiuit, sed Custos Monasterii eum repetere volens, testes quosdam Ordinis sui produxit,

qui non præmisso iuramento, deposuerunt Presbyterum professionem edidisse, quamuis Presbyter se opposuerit, ne admitterentur non jurati, hoc intellecto respondit Honorius III. nullius testimonio, quantumcunque Religiosus sit, in alterius præiudicium esse credendum, nisi deposuerit juratus.

Aduerte, quod custos in hoc casu egerit ex mandato Prælati sui nomine Monasterii, ideoque producere potuerit testes ex Conuentu. *juxta c. Insuper. 6. c. Cum nuntius. 12. hoc tit.*

SYMMARIVM.

1. Nouitius habet liberam ex Monasterio discedendi facultatem; per professionem autem personaliter obligatur Religioni, ita ut vindicari possit adiectâ causâ.
2. Testi in iudicium producto, nisi Clericus vel Religiosus sit, non creditur, nisi iurato, posito quod partes non remittant iuramentum.

NOT. I. Nouitius habet liberam ex Monasterio discedendi facultatem. *c. ult. causa 20. q. 3. c. 1. & ult. de regul. per professionem autem seu vota, Religiosus personaliter obligatur Religioni, ita ut vindicari possit adiectâ causâ, quemadmodum & pater filium in potestate suâ constitutum, conjux conjugem, dominus colonum originarium repetit ac reducit. juxta l. 1. junctâ gl. verb. Vindicare posse. ff. de rei vindic. idè autem dixi, tales personas vindicari posse adiectâ causâ, eâque probatâ; cum enim alioquin liber homo vindicari non possit, ut habetur in cit. l. 1. & l. Cum heredes 23. §. Item quero. ff. de acquir. possess. idè obligatio personalis, quæ non præsumitur, allegari ac probari debet, videlicet in proposito casu Custos, tanquam Procurator Monasterii, per testes legitime probare debuit professionem editam fuisse. videri potest *Abbas & Felinus hic n. 2.**

Not. II. Testi in iudicium producto tamen si Clericus aut Religiosus sit, non creditur, nisi sit iuratus. excipe nisi partes remittant iuramentum, vti dictum est in *c. Tuis. 39. hoc tit.*

Venerabili.

PARAPHRASIS.

Episcopus & Capitulum Ecclesie Corisoptonensis & vniuersi Abbates Ordinis Cisterciensis in generali capitulo congregati, ac multi alij Episcopi & Religiosi vnâ cum Abbate Conuentus S. Martini (aliâs S. Mauritii) eiusdem diocesis retulerunt Honorio III. quo modo piæ memoriæ Mauritius Abbas eiusdem Monasterii, claris ex diuino munere miraculis fulgeat, humillimè supplicantes, vt in Sanctorum catalogum referatur, vt quod populus nunc anticipando veluti vsurpat, cum eum sanctum appellat ac veneratur, id Sedis Apostolicæ interueniente auctoritate facere possit, idcirco Pontifex Episcopo cuidam & Abbati Mauritii diligentissimè inquirerent, & ad ipsum referrent. Ipsi post inquisitionem scriptum sigillis suis munitum ad Pontificem miserunt, in quo multa quidem & magna referebantur miracula, eaque per testes iuratos ac nominatim expressos probata; at tamen non apparebat ex illo scripto, quòd testes singulatim examinati, & secundùm circumstantias, sicut fieri oportet, diligenter interrogati fuissent, ideò Pontifex consultius esse arbitrat, vt interea differatur negotium; atque idcirco scribit nunc ad Episcopos Corisoptonensem & Trecorensem mandans eis, vt testes, quos Abbas & Monachi S. Martini Cisterciensis Ordinis super vitâ & miraculis piæ memoriæ Mauritii Abbatis duxerint producendos, examinare singulatim curent, ea cum diligentia, quæ solet ac debet in receptione testium adhiberi.

SUMMARIVM.

1. Homines piè defunctos cultu publico absque licentia Papæ inuocare non licet, sed tantum priuato.

2. Requisita ad Canonizationem sancti Confessoris, præuia inquisitio & cognitio Sanctitatis & miraculorum eius; Martyris autem de passione eius, & causa passionis.

3. Testes non simul, sed seorsim examinandi.

NOT. I. Homines piè in domino defunctos cultu publico inuocare ac venerari non licet absque summi Pontificis licentiâ, sed tantum cultu priuato, quâ de re Innoc. & alij in c. 1. de reliq. SS. & dixi de hoc lib. 4. Th. Mor. Tract. 7. cap. 5. q. 7.

NOT. II. Ad canonizationem Sancti requiritur, vt prius diligenter inquiretur & cognoscatur de sanctitate vitæ & miraculis, id verò ait Sylu. verb. Canonizatio intelligendum esse, si quispiam in sanctorum Confessorum numerum referendus sit, sin autem in numerum Martyrum, tunc inquirendum esse de passione eius & causâ passionis, num videlicet in fidei Christianæ testimonium mortem obierit, iuxta ea, quæ docui lib. 3. Th. Mor. Tract. 3. n. 2. & 3. nunc verò ista inquisitio & examen accuratum commissum est congregationi Cardinalium, quæ est circa ritus & ceremonias, vt patet ex Bulla Clementis VIII. de canoniz. B. Raymundi, quæ incipit Romana in summâ Bullarj.

NOT. III. Testes non simul, sed seorsim examinandi sunt, ita enim apparebit, vt inter se de facto & circumstantiis facti consentiant, vt major ipsis fides habenda sit. ita sumitur ex cap. 13. Danielis. & tradit gl. recepta in c. Cum causam. 37. verb. Processus hoc tit. vbi ait, quòd depositiones testium non valent, nisi singulatim examinati sint, & sequitur Jo. Andr. hic n. 2. Abb. n. 1. & alij.

CAPITVLVM LIII.

Cum clamor.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Acherontinus de Simoniâ & aliis criminibus grauitè infamatus erat,

erat, ea propter Gregorius IX. Papa, ex officio motus mandauit Melfirensi & Rubensi Episcopis, vt super his diligenter inquirerent, verum cum publicatis attestacionibus appareret, quod duo testes super Simoniâ nimis confusè deposuissent, & veritas elici non posset, mandat hîc Pontifex, vt tum hos tum alios testes iterum diligenter examinent, & attestaciones eorum sigillo consignatas ad Sedem Apostolicam mittant.

S V M M A R I V M.

1. Iudex etiam publicatis attestacionibus potest testes eosdem, vel alios super eisdem articulis denuò examinare, si obscure & ambigüè deposuerunt.
2. Testis obscure & ambigüè deponens nihil probat.
3. Verus sensus Regule: ambigua locutio interpretari debet contra eum, pro quo profertur.

NOT. I. Iudex etiam publicatis attestacionibus potest testes eosdem vel alios super eisdem articulis denuò examinare, si obscure & ambigüè deposuerunt. ratio est, quia iudex sententiam ferre non debet, nisi causam ex allegatis & probatis cognitam habeat; quamobrem omnia perscrutari debet, donec veritatem deprehendat, c. vlt. causâ 3. q. 5. quæ doctrina æquè locum habere videtur siue causæ sint ciuiles, siue criminales, & siue iudex procedat ex officio, siue ad instantiam partis, & ita docet gl. in c. In presentia. 8. verb. Verbum dubium. de prob. Innocentius hîc. & Abbas n. 1. Imola n. 7. Felinus n. 3. & 5. pars autem litigans ordinariè non auditur, si publicatis testificationibus testes examinari petat propter subornationis periculum, vt dictum est in c. Per tuas. 48. hoc tit. tale autem periculum in iudice non timetur.

NOT. II. Testis, qui obscure & ambigüè deponit, nihil probat, ita etiam habetur in c. In presentia, nam probatio debet esse necessariò concludens, vt docent DD. in l. Non hoc. 4. Vnde legitimi. Gail. lib. 2. obs. 13. n. 5, ita vt animum iudicis ad assensum mo-

uere possit, talis autem non est probatio ambigua, quia vt gl. ait in cit. l. Non hoc. verb. Quorundam. non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse.

Latiùs hîc disputant DD. an & quo sensu vera sit regula sumpta ex l. Veteribus 39. ff. de pactis: quod ambigua locutio interpretari debet contra eum, pro quo profertur, & consentit Regula 57. in 6. contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs interpretatio est facienda. 32. Huic regulæ duas declarationes adhibendas esse; vt verè dubium sit, & non per conjecturas verisimilitudo seu major probabilitas deprehendi queat; altera, vt procedat in promissionibus, contractibus, ac fœderibus, quibus alicui acquirendum, alteri demendum, aut obligatio ipsi imponenda est, quod interpretatio fieri debeat contra eum, cui acquirendum est, aut qui in iis verbis intentionem suam fundat ad obligandum alterum, vt tradunt DD. in cit. l. Veteribus,

Prior declaratio idè adjecta est, quia in obscuris ante omnia inspicere solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri consuevit Regula 114. consideranda etiam est materia, de quâ agitur, nam is verborum intellectus præfertur, qui rei, de quâ agitur, aptior est. Argum. l. Questum. 12. ff. de instructo vel instrum. & videri potest Menochius casu 199. n. 2. item, vt actus, qui geritur, inter partes valeat potius, quàm vt pereat. l. Quotiens. ff. de verb. oblig. & c. Abbate. 25. de verb. signific. deinde quod æquitati magis consentaneum est, & quo neutra pars læditur; & quod in tertii præiudicium non cedit, & quo culpa omnis excluditur; ea autem interpretatio recipienda non est, per quam pars altera decepta sit, damnumve sentiat, vt habetur apud Menoch. l. c. Georg. Everhard. 1. Consil. 45. n. 44.

Altera declaratio idè posita fuit, vt intelligatur aliam rationem esse, quando non agitur de contrahendâ obligatione, sed mero alicui collato fauore, vt in vltimis voluntatibus, ac principum beneficiis, quâ de re est Regula gl. in l. Princeps. 21. ff. de verb. signif. & l. Beneficiis. 3. ff. de Princip. Constitut.

quòd in contractibus plena, in vltimis voluntatibus plenior, in principum beneficiis plenissima interpretatio facienda est, & ita habetur in *Reg. 12. ff. in Testamentis pleniùs* (quàm in contractibus ait *gl. ibid.*) voluntates testantium interpretantur, & in *cit. l. 3.* beneficium Imperatoris, quod à diuinâ scilicet eius indulgentiâ proficiscitur, quàm plenissimè interpretari debemus. Ceterum, quia in legatis præstandis concurrat obligatio hæredis, ideò dici solet, quòd legatorum interpretatio sic fieri debeat, vt hæres, quantum fieri potest, non grauetur, & *Decius in reg. 12. cit.* admonet, quòd fauorabilior in testamentis, quàm in legatis interpretatio fieri solet.

CAPITULUM LIV.

Testimonium.

PARAPHRASIS.

Si testi ab vnâ parte producto pars aduersaria obijciat crimen, repelli debet tam in ciuili causâ, quàm in criminali, si in crimine adhuc perseveret; sin autem emendatus sit, eumq; infamia non comitetur, non est repellendus in causâ ciuili, neque cum de crimine agitur ciuilitè, excepto perjurii crimine; in criminali autem causâ, si testis in iudicio antea de crimine conuictus fuerit, vel illud confessus, aut si nunc de ipso demonstratur à parte opponente & excipiente, aut si opinio eius grauata sit, propterea quòd aliquando propter crimen à testificando repulsus fuerit, his casibus, licet in causâ ciuili non repellatur, tamen in causâ criminali etiam tunc emendatus repelli potest.

SUMMARIUM.

1. Infames & criminosi à ferendo testimonio repellendi sunt. Regula ponuntur dignoscendi eos.
Infamia alia juris & legalis, alia facti.
2. Infames infamiâ juris, neutro jure, nec ciuili nec canonico, testes esse possunt in iudicio, & à Iudice, parte etiam nihil

opponente, repellendi; aliàs sententia erit nulla.

3. Possunt tamen esse testes in criminibus exceptis, & in subsidium, si veritas per alios testes cognosci non possit, adhibiti tamen tortura; integra fidei autem neque tunc erunt.
4. *Iidem* neque in testamento testes esse possunt.
5. Infamia facti infames, de jure canonico, & in eodem foro, vt testes judiciales non admittantur, secus est de jure ciuili, & in eodem foro, nisi condemnati sint.
6. *Aequitatis est*, & ita obseruatur, vt in causis criminalibus & ciuilibus arduis infames infamiâ facti etiam in ciuili foro repelli possint, vel si admittantur, non multum eis credatur.
7. Periuurus à testificando repelli potest.
8. In causa criminali quandoque etiam ille, qui crimine graui conuictus, aut confessus est, etiam post factam penitentiam repelli potest.
9. Non tamen, si constans vite emendatio secuta sit.
10. Refertur causa, cur crimen notorium notitiâ facti per emendationem constantem ac diuturnam penitus tolli censeatur, non autem notorium notitiâ juris, præsertim post latam sententiam.
11. Criminosus sine infamia juris, à iudicis officio vel eligendi repelli non potest. Cur?

SVpposito, quòd duplex sit infamia, vna juris seu legalis, & altera facti, sicuti fusè explicauit *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. 8. cap. 4.* circa materiam hanc, quòd infames & criminosi à ferendo testimonio repellendi sint, ponendæ sunt hæ regulæ.

1. Infames juris infamiâ, tam ciuili, quàm canonico jure inhabiles sunt ad testimonium iudiciale. ita habetur hic & in *l. 3. §. l. Iulian. de testibus. c. Nulli 11. causa 3. q. 4. c. Licet 47. hoc tit.* Ratio est, quia testimonium iudiciale inter actus legitimos numeratur. *l. penult. de heret. infames autem à legitimis actibus exclusi sunt, cit. c. Licet.*

Corol-

Corollarium. Cùm infames juris infamiâ absolute inhabiles sint ad testificandum, idè ad iudicis officium spectat eos repellere, tamen pars nihil excipiat, sin autem repulsi non sint testes infames, non valebit sententia lata ex eorum testificationibus. aded quidem, vt etiam post mortem testis, probatâ eius infamiâ, rescindi debeat, vt docet *Durandus in speculo hoc tit. §. 1. num. 29.* & pluribus allegatis *Farinac. de testibus q. 56. n. 41.*

Admittuntur tamen infames ad testificandum in criminibus exceptis & in subsidium, si veritas per alios testes cognosci non possit, vt docet *Bartolus n. 12. de iustis & iure. Imola, hic n. 6. Abbas n. 6. & alij plerique apud Farinac. n. 50.* necesse tamen est, vt tortura eis adhibeatur, *juxta l. Ob carmen. 21. §. Si ea. juncta gl. de testib. & ex communi Barr. & Abbas l. c. Gl. in cit. §. l. Iulia. verb. Palam.* quanquam neque tunc talium testimonia integræ fidei censerentur debent, vt dixi in *c. 10. de confessis.* & monet *Bartolus n. 51. Abbas n. 6. Farinac. n. 55.* His adde, quòd infamis neque in testamento testis esse possit, vt constat ex *l. Qui testamentum. 20. §. Eum, qui de testam.* vbi generatim significatur eum, qui in iudicio testis esse prohibetur tanquam inhabilis, neque ad testamentum adhiberi possit.

2. Infames infamiâ facti, qui videlicet in crimine graui, & apud viros honestos ac prudentes infamante perseverant, testes iudiciales esse non possunt de iure canonico & in foro canonico, sed de iure ciuili & in foro ciuili non repelluntur, nisi condemnati sint. prior pars habetur in hoc *c. juncta gl. verb. In crimine perseveret. & in c. Super eo. 13. hoc tit. c. Constitutum 9. causa 3. q. 5. c. Infames 17. causa 2. q. 1.* necesse tamen est, vt criminofus seu à iudice, seu à parte opponente repellatur, vt videre est apud *Felinum hic n. 3.* alioqui valeret eius testimonium, licet non tantam fidem mereatur, cùm non sit testis integer, seu non omni exceptione maior. vt *gl. tradit in l. 3. §. Summatim. verb. Non eandem fidem de Carboniano edicto, & alij apud Farin. n. 111.*

Posterior pars traditur in *c. Si testes. §. Lege Iulia. causa 4. q. 3.* & notat *gl. Recepta. in c. Super eo. 13. verb. Confessi. hoc tit. Felin. hic n. 8.* æquum tamen est, & ita obseruatur etiam vt in causis criminalibus & ciuilibus arduis infames infamiâ facti, seu criminofii etiam in ciuili foro repelli possint, aut si eorum testimonium recipiatur, non multum eis fidei tribuatur, sicut docet *Clarus in practica. q. 24. n. 13. Furin. q. 56. n. 100.*

3. Perjurus, id est, qui falsum iuramento scienter confirmauit, à testificando repellitur potest, vt etiam habetur in *c. Quicumque. 18. causa 6. q. 1. c. Paruuli. 14. causa. 22. q. 5.* nam testi non creditur nisi iurato, iuramentum autem eius infirmum censetur, qui antea peierauit, immò non sine periculo defertur ipsi iuramentum, quia iterum peieraturus putatur, quæ ratio maxime locum habet, si quis in iudicio perjurium commiserit, vt *Abbas hic* notat.

4. In causâ criminali, qui de crimine graui conuictus, aut confessus est, etiam post factam pœnitentiam quandoque repellitur potest, tamen in causâ ciuili non posset; non arbitror tamen generalem regulam statuendam esse, qualem *Abbas hic* ponit *n. 12. Felin. n. 31.* quòd lapsus in crimine graue, quantumcunque emendatus, à ferendo testimonio repellitur possit in causâ criminali, nisi quòd excipiant eum, qui religionem ingressus est.

Sed contrarium docet *Clarus q. 24. n. 16.* nam testis ob crimen commissum idè repellitur potest, quia opinio eius & fides debilitata est, hæc autem ratio cessat, si constans vitæ emendatio secuta sit, quandoquidem cessante causâ cessare debet effectus. *c. Cum cessante. de appellat.* consequenter per constantem ac diuturnam vitæ emendationem sublato crimine, cessare etiam debet omnis eius effectus, quæ est diminutio fidei ac boni nominis. secundum *gl. in c. 3. verb. Nisi eis. causa 6. q. 1.* vide quæ dixi *lib. 1. Th. Mor. Tract. 5. p. ult. cap. 4. n. 10.*

In capitulo autem isto arbitror fieri duntaxat comparationem inter causam ciuilem

lem & criminalem, quod licet emendatus de crimine ipso jure infamiam non irrogante in causâ civili repellere non possit, tamen hanc regulam generatim non procedere in causâ criminali, siquidem in istâ quandoque spectatâ qualitate personæ, criminis aliarumque circumstantiarum etiam is, qui pœnitentiam egit, repellere potest, cum adhuc pronitas aliqua seu facilitas ad peccandum subesse possit, ob quam hominis fides dubia reddatur.

Ethæc inferuire possunt ad cognoscendum, num crimosus ad dignitatem seu prælaturam electus repellere possit; si enim in crimine graui ac notorio juris aut facti notitia perseueret, vel illud non ita pridem commiserit, ita ut infamia inde resultans adhuc permaneat, repellere debet. vti docent DD. in c. 22. de elect. & c. 1. si autem crimen per constantem, apertam, & moraliter certam vitæ emendationem sublatum sit, tunc repellere non debet, tanquam indignus. *Argum. c. Ferrum. 18. dist. ubi gl. ait*, quod talis nouus seu alius esse censetur post emendationem, ita etiam docet *Archidiaconus. & gl. margin. ait*, ex vno capite aptiorem esse ad gubernationem, qui peccauit, & peccatum emendauit, quod aliis compati possit, exemplo S. Petri, de quo in eo capitulo sermo est: quare etiam Abbas fatetur *cit. c. Dudum. n. 24.* si constet aliquem esse emendatum, quod repellere non possit.

Cæterum, si aliquis propter crimen graue per iudicis sententiam damnatus fuerit, vel ab electione repulsam tulerit propter crimen, tum notam exinde aliquam gerit etiam post criminis emendationem. vti docui in *quest. de elect. q. 71.* & dicitur in c. 1. *hæc tit.* opinionem alicuius grauari, si in priore aliquo iudicio propter crimen à ferendo testimonio repulsus fuit.

Cum autem crimen, tametsi notorium sit, solâ notitiâ facti per emendationem constantem ac diuturnam penitus tolli censetur, non item quod notorium est notitiâ juris, præsertim per latam sententiam. ratio huius rei in promptu est, quia quâ cau-

sâ aliquid nascitur, eadem etiam dissoluitur, vti in proposito Gratianus annotauit *dist. 61. §. His omnibus.* vbi ait, quod Ecclesiasticæ prohibitiones suas causas habent, quibus cessantibus, cessent etiam ipsæ, cum itaque infamia facti ex solo crimine seu crimosâ vitâ contrahatur, eâ penitus depositâ, & illa cessare debet, vti etiam docui in *cit. c. 4.* at verò infamia contracta ex jure, præsertim per sententiam, per jus seu principis sententiam seu dispensationem tolli debet.

Quæres: cur crimosus seu qui in graui crimine non habente juris infamiam annexam persistit, per exceptionem repellere non possit à munere iudicandi, neque ab officio eligendi, sicuti hic notauit *Abbas & Felinus. n.* Quia jus ipsis omnimodè ac plenè acquiritum est, quo priuari non debent, nisi cognitâ sententiâ per depositionem aut priuationem à superiore

CAPITVLVM LV.

Ultra tertiam.

PARAPHRASIS.

Si tertio testes producti sint ac recepti, non debet quarta productio concedi, nisi is, qui eam postulat, prius iuramentum præstiterit, quod nec per se, nec per alium attestaciones subtraxerit, aut percunctando didicerit; deinde quod non dolo, seu malitiosè eam postulet, sed quia testes, quos iam producere vult, antea habere non potuerit. desumptum est *hoc c. ex auth. de test. §. Quia verò. collat. 7.*

SUMMARIUM.

1. Ad quartam testimonium productionem non admittendus, nisi præstato prius iuramento legali.

NOT. I. Si quis testimonium seu à se, seu à parte aduersâ productorum testimoniationes didicerit, intelligo sufficienter, & ab eo, cui fidem habere possit, admittendus non est ad aliam testimonium productionem, vti etiam dictum est in c. *Fraternitatis 17. hæc tit.* & videri potest *Farinac.*

Not.

Not. II. Ad quartam testium productionem aliquis admittendus non est, nisi præstito prius juramento legali, ut habetur in cit. *S. Quia verò. authent. de testib. collat. 7.* & dixi in c. 15. hoc tit.

CAPITVLVM VLT.

Non debet.

PARAPHRASIS.

Accusatus de crimine, pendente accusatione, ad testificandum in causâ criminali, admittendus non est, præterquam in criminibus exceptis, quandoquidem eiusmodi accusatus, nisi innocentiam suam ostenderit, ab accusando quoque, & Ordinum susceptione repellitur.

SVMMARIVM.

1. Accusatus de crimine, dum accusatio pendet, vel innocentia non est ostensa, testis legalis integer esse non potest.
2. Nec admittendus ad accusandum, & ad Ordinum susceptionem.
3. Multò minus ad beneficia & Prælaturas promovendus.
4. Cantela, ne quis his constitutionibus abutatur in fraudem.
5. Præiudicium aut commoditas concessa à jure non debet prodesse ei, qui per fraudem eam procuravit.
6. Accusatus & denunciatus etiam charitativa tantum denuntiatione de crimine, pendente accusatione, non potest accusator esse aut testis in causâ criminali, neq; ad beneficia & ordines promoveri, etiam quando ex officio iudicis proceditur contra aliquem.

NOT. I. Accusati de crimine, dum accusatio pendet aut innocentia ostensa non est, gravata censetur existimatio, idè que non est testis integer seu omni exceptione major, quamobrem eiusmodi hominis testimonium, tamen non facit probationem simplicem, idè que ob unius eius testificationem non potest parti, pro quâ testimonium prolatum est, deferri juramentum in pro-

bationis supplementum, uti videre est apud Glossatorem Abbatis & Felinum n. 2.

Not. II. Hæc æquiparantur in jure, quòd ad accusandum, testificandum in causâ criminali, & ad ordinum susceptionem admittendi non sint accusati de crimine, interim dum lis seu quæstio criminalis pender, ita docet gl. recepta. *Imola hic n. 1.*

Adde 1. Quòd talis multò minùs ad beneficia & prælaturas promovetur debet, dum eius existimatio gravata, aut vitæ honestas in dubium reuocata est, juxta c. *Omnipotens 4. de accusat.*

Dices: his constitutionibus aliquis in fraudem abuti poterit, si quempiam accuset de crimine, ut eum à testificatione ordinis, beneficii, aut prælaturæ assentione impediat. *Et cum Io. Andr. hic & Abbate n. 5. Felino n. 2.* huic malitiæ obviari posse, si præfigatur temporis spatium accusatori, intra quod accusationem prosequi ac perficere debeat, postea non audiendus. *Arg. c. 1. de restitut. spoliat. in 6.* vel si recipiatur testimonium accusati, sed exceptio seu oppositio in finem litis referretur, si interim cognitum sit, num testis nocens an innocens existat, quemadmodum etiam *Innoc. docet in cit. c. Omnipotens. 16. Io. Andr. hic n. 3. Imola in fine huius capituli,* quòd accusatus pendente accusatione eligi possit, licet confirmari non debeat, nisi prius innocentia ostensa, vel absolutio facta sit.

Occasione hinc acceptâ tradit *Felinus hic* doctrinam generalem, quòd præiudicium aut commoditas concessa à jure non debeat prodesse ei, qui per fraudem eam procuravit, ut si aliquis ex intentione inimicitiam hominis procuravit, ut eum à testimonio repellere queat, aut si Episcopus procuravit negligentia Canonicoꝝ in conferendo beneficio, ut collatio ad ipsum post sex menses devoluatur, juxta c. 2. *De cõcess. præb.* quia uti dicitur in c. *Postulâstis. 15. de cõcess. præb.* cum dolosè impedierit, dolus suffragari ei non debet, sed secus dicendū videtur, si quis nõ per dolum, sed suo jure utens legis commoditatem sibi procurat, & huc spectat regula: quòd dolo nõ agit, qui jure suo utitur.

Adde

6 Adde 2. Quæ dicta sunt de accusato, quòd pendente accusatione non possit esse accusator, aut testis in causâ criminali, neque ad ordines & beneficia promoueri. similiter locum habent, si ex officio iudicis contra aliquem procedatur, vel denuntiatus quispiam sit de graui crimine etiam charitatiuâ tantum denuntiatione, vti hîc *Abbas docet n. 6. Felin. n. 1.* Ratio est, quia per denuntiationem criminis dubia redditur vitæ honestas & integritas viri, ideòq; pendente hoc dubio, non censetur omni exceptione maior.

EODEM TITVLO in VI.
CAPITULUM I.

Mediatores.

PARAPHRASIS.

Mediator Simonie commissæ contra auctorem scelestis propter eius detestationem admittitur ad testimonium, si criminaliter non agatur, sed ciuilitè, & mediator emolumentum inde consecutus non sit.

SUMMARIUM.

1. Proxena seu mediator non potest esse testis circa negotium, in quo intercessit.
2. Nisi utraque pars litigantium consentiat.
3. Vel alij testes haberi nequeant.
4. Si testis fuit instrumentarius super contractu, de cuius postea qualitate aut conditione dubitetur, super ea testis adhiberi potest.
5. Si de crimine Simonie ciuilitè agitur, socius criminis testis produci potest, modo non etiam muneris particeps fuerit. Non potest, si criminaliter agatur.

Questio hîc tractanda est, vtrum proxena, seu mediator, qui intercessit ad actum gerendum, possit in testem produci. & regulam ponendam esse negatiuam, quòd proxena non possit esse testis circa negotium, in quo intercessit, vti colligitur

ex hoc c. & *Auth. de testib. §. Quoniam. col. lat. 7.* docet *gl. hîc. verb. Ciuilitè. Dominicus post princip. Petrus Ancharanus & alij*, quos citat & sequitur *Farinac. de testib. q. 60. num. 46.*

Multò minus administrator bonorum v. g. Prælatus Ecclesiæ potest esse testis, si litigetur de contractu, quem ipse celebrauit, vt bene docet *Francus in c. vlt. n. 9. hoc tit.* licet contrarium sentiat Archidiaconus allegatus in *glossa hîc. verb. In testem.*

Excipe 1. Nisi pars vtraque litigantium consentiat, tunc compellitur esse testis, vti habetur expressè in *cit. §. Quoniam.* sed quid, si vna pars consentiat, alterâ contradicente. hoc casu *Gl. in c. §. Quoniam. verb. Legem. Francus hîc n. 6. Io. Andr. in c. Dilectorum. n. 7. de testibus cogendis* docent, quòd hoc casu ad testimonium admitti possit, si velit, sed inuitus non compellatur.

Sed arbitrò, si vna pars contradicat, repellendum esse, nam cur proxena ad testimonium ferendū minus aptus censetur, ea afferri solet ratio, quia affectus est ad negotium illud, cuius mediator extitit, perficiendum, confirmandum, aut approbandum; hæc autem ratio sufficit, vt tanquam suspectus repelli possit ab eâ parte, contra quam ad gestæ rei confirmationem producit, sicuti *Dominicus hîc* significat paulò post principium. *Gl. & Farin. l. c.*

Excipe 2. Quòd in subsidium, si alij testes haberi nequeunt, proxena ad testificandum admitti immò cogi possit, vti docet *Francus hîc. n. 7. Abbas in c. Insuper. n. 11. extra hoc tit. Farinac. n. 417.*

Excipe 3. Si proxena ex partium consensu adhibitus sit in testem instrumentarium super contractu, ac postea dubitetur de qualitate aut conditione contractus non videtur repelli posse iuxta ea, quæ docet *Farin. q. 62. n. 112.* immò ex vnâ parte, qui jam melius nôsse rem censetur, magis idoneus esse videtur.

Excipiunt 4. hîc Canonistæ, quòd mediator Simonie commissæ in testem produci possit, si agatur de crimine ciuilitè, videlicet ad priuationem beneficii, dummodo nihil

nihil ipse acceperit; idèd sit criminis tantùm seu operis mediator, & non etiam muneris; sin autem agatur criminaliter videlicet ad depositionem ab ordine seu degradatione, tunc testis produci non possit, vt in textu hic dicitur. hæc in se vera sunt, sed puto non esse hanc exceptionem à traditâ regulâ, nam id generale est, quòd proxeneta produci possit in testem ad ostendendam infirmitatè ac vitium actus, tunc enim minimè suspectus est, & cessat ratio, cur testis esse nequeat, quia videlicet affectus est ad negotium, cui pro agendo adhibitus fuerat, vt annotauit *Mascard. conclus. 1036. n. 17. Farin. quest. 6. n. 437.*

Idèd dicendum, quòd specialis difficultas sit de mediatore simoniæ, vt rùm produci possit in testem criminis, cuius mediator & adiutor extitit, nam ex vnâ parte videtur nõ admittendus; quia socium criminis se profiteretur, iuxta *c. Veniens. 10. extra, hoc tit.* ex alterâ verò parte admittendus videtur, cum simoniæ crimen sit vnum ex exceptis, vt ex communi doctrinâ docet *Clarus lib. 5. sentent. verb. Simonia. n. 11.* in criminibus autem exceptis etiam socij criminis & infames produci possunt in testes. *n. ex c. Licet Heli. 31. & c. seq. de simoniâ.* quòd crimen simoniæ (si cum hæresi formali iunctum non sit) non ita atrox censeri debeat, sicuti hæresis crimen, aut læsæ maiestatis, licet atrocius ac detestabilius censeatur, quàm multa alia graua & depositionem merentia crimina, & idèd discrimen obseruari debet hoc capitulo traditum, & à DD. communiter receptum: si de crimine simoniæ agatur ciuilitè, socij criminis testem produci posse. dummodò non adèd criminofus sit, vt etiam muneris accepti particeps fuerit, at verò, si criminaliter agatur, tum repelli possit, tametsi solius criminis, non & muneris particeps sit, & ita explicat *Abbas. c. Per tuas.*

5 Dicet quispiam, si accusatus de simoniâ excipiat contra testem productum tanquàm mediatorem ac socium criminis, videtur illud confiteri, ergo deberet condemnari, Resp. cum *Glos. communiter recepta hîc. verb. Affecuti. Dominico ibid.* quòd excipiens

nihil fateatur, quia eius sermo solùm tendit ad repellendum hominem. Si dicis te socium criminis fuisse, tunc criminofum te profiteris, & hoc ipso inhabilem ad testificandum, & idèd repelli debes.

CAPITVLVM II.

Præsentium.

PARAPHRASIS.

Lis erat inter Abbatem & Conuentum S. Nicolai ex vnâ parte, & Priorem ac Conuentum Lyconensem, ex alterâ parte, super possessione subiectionis Prioratus, quâ se Abbas spoliatum assererat, nec non super transactione irritandâ, quæ olim inter partes inita erat. Hanc causam Gregorius IX. ad se advocauerat, iuxta *cap. Ad nostram. 56. De appellat.* Hic itaque mandat cuidam in provinciâ, ut Abbatem & Priorem tum suo nomine, tum in animas Conuentus, aut maioris ac sanioris partis jurare jubeat de veritate dicendâ. deinde iniungat Abbati & Priori, vt tam ponendo, quàm respondendo veritatem dicant super positionibus à Pontifice transmissis, quatenus sciunt & intellexerunt ex illis, in quorû animas jurâtunt, postea super quolibet articulo contento, in positionibus partes faciat sufficienter, aut invicè respondere, nullâ admittâ cõtradictione aut reiectione, sed & à Syndico partis vtriusque, tamen absque juramento inquiratur, vt quod sit, aut credit esse, de huiusmodi positionibus edicat, testes quoque quos super articulis à Papâ transmissis, Prior & Conuentus produxerat ad reprobandos testes, quos in causâ principali pars altera produxit, & quorum nomina in iisdem articulis posita erant, vsque ad proximas Calendas Novembris examinètur secundùm adversæ partis interrogationes, quæ à Pontifice vnâ transmittèbatur, ita tamen vt contra testes ab Abbate & Conuentu productos, crimina

f s

speci-

specificentur; sin autem vicissim Abbas & Conventus testes producerint reprobatorios reprobatoriorū à Priore ac Conventu productorum, tunc & ij recipiantur ac diligenter examinentur usque ad proximas Calendas Februarij, ita vt similiter crimina, aliáque obiecta specificentur, prius tamen præstito iuramento à Procuratore Abbatis & Conventus, quòd ad id malitiosè non procedat.

S V M M A R I V M.

1. Adversus eum, qui vt subditus tractatus incipit obedientiam & subiectionem negare, tanquam spoliatorem competit interdictum Vnde vi.
2. Consultum est, vt circa iura Monasterij libellus formetur, & actio instituat in nomine Pralati & Conuentus seu Capituli, in arduis causis est necessarium.
3. Conuentus seu Capitulum absque Pralato agere non potest pro iuribus Ecclesie. Limitatur ibidem.
4. In casibus quibus potest Pralatus sine consensu Capituli agere, potest Syndicum & Procuratorem constituere, & renocare sine eiusdem consensu.
5. Idem potest Capitulum, in causis quas agere potest sine consensu Pralati circa bona diuisa ipsique propria.
6. Pralatus causam agens suo & conuentus nomine iurare debet in animas maioris & sanioris parus exhibito mandato.
7. Ad singulos articulos in vna positione subinde contentos singulatim respondendum est.
8. Ad approbatus à iudice petitiones adversarius respondere cogitur, & immutatas delegatus retinere, si ipsi à delegante transmissæ sunt.
9. Pars qua cogitur ad articulos probatoriales respondere, formare potest interrogatoria super quibus testes examinandi, non autem ea communicanda adversario.
10. Testis reprobatoriorum reprobatorios producere volens, vt iuramentum malitiæ præbet, in iudicio arbitrio est.

NOT. I. Si is qui vt subditus tractatus fuit, incipiat obedientiam ac subiectionem negare, censetur spoliare alterum possessione suâ, ita vt competat interdictum vnde vi. ita glossa magna hic communiter recepta.

NOT. II. Consultum est, vt in controversiis circa iura monasterij Abbas, præpositus, aliúsve Prælatus libellum formet actionemque instituat non suo tantum nomine, sed etiam nomine Conuentus aut Capituli, imò id necessarium videtur, si causa ardua sit. ita gl. magna hic, & docui in cap. Edoceri, de re scriptis.

At verò Conuentus seu Capitulum absque Pralato agere non potest pro iuribus Ecclesie, argum. c. Causam. 9. vbi docet Innoc. de iudiciis, nisi agatur de propriis iuribus Capituli, vel Conuentus, se ude bonis pertinentibus ad mensam Capituli, vt docui in cit. cap. Edoceri, vel nisi Capitulum agat pro recuperatione bonorum malè alienatorum, quæ Prælatus repetere negligit, vt dixi in c. Cum olim. 34. hoc tit. & tradit Abbas in cit. c. Edoceri, 16. Felin. n. 4. declar. 2.

Ratio autem discriminis, cur solus Prælatus Ecclesie plerumque agere possit in iudicio, sicuti & conueniri pro communibus Ecclesie iuribus, non item Capitulum sine Pralato, ea dari debet, quia vt dictum est in cit. c. Edoceri, libera administratio iurium & bonorum Ecclesie Pralato competit, non autem Capitulo, nisi vacante prælaturâ, vt videre licet apud Imolam in cit. c. Edoceri, n. 2. & 5. quamobrem rectè hinc infert Imola ibid. n. 6. Felin. n. 5. Si administratio in aliquâ congregatione communiter pertineat ad Prælatum & Capitulum, quia & Prælatus aliquam personam deputare solet, & aliam Conuentus, per quas bona & iura Monasterij curentur ac defendantur, tum neque Prælatum sine Conuentu, neque Conuentum sine Pralato in iudicio conuenire aut conueniri posse, secundum regulam traditam ab Innoc. in cod. c. Edoceri, n. 4. quòd facultas agendi in iudicio sequitur potestatem administrationis, seu ad eum pertinet agere in iudicio, cuius est administrare.

argum.

argum. l. Omnes. C. de Episcopis & Clericis. & hæc ipsa causa est, cur Prælati causas arduas absque capitulo agere non possit, quia nec administrare talia debet sine Capituli consensu, aut saltem Consilio, ut docui de iurisdictione *concl. 83.* item quod Episcopus generalem Oeconomum seu Officialem, qui omnia jura & negotia Ecclesiæ agat absque consilio Capituli constituere non possit, sicuti *Innocent. tradit num. 4.* quamvis in his omnibus Ecclesiarum consuetudo etiam attendenda sit, quippe quæ potestates eiusmodi augere, vel minuere potest.

4 His verò addendum cum Dominico hinc *columna 4. Anchar. columna 2. Felino in cit. cap. Edoceri, num. 6. & 7.* quod in casibus, quibus Abbas, aliisque Prælati sine consensu Capituli seu Conventus agere potest, consequenter & Syndicum, seu Procuratorem constituere, eundemque absque Capituli consensu ante litem contestationem revocare; non item in causis, quas Prælati absque Capituli consensu agere non potest, consequenter neque Procuratorem constituere, neque constitutum revocare, quandoquidem eadem solemnitas requiritur ad dissolvendum, quæ ad constituendum, secundum *gloss. in l. Cum proponebatur. verb. Septem testium. ff. Delegatis. 2.* Similiter & Conventus in causis quas agere potest, & sine consensu Prælati circa jura & bona divisa, ipsique propria, Procuratorem constituere non prohibetur. Veruntamen hoc casu singuli Capitulares seu Conventuales Procuratorem revocare non possunt, sed necessè est, ut nomine Conventus secundum maioris ac sanioris partis (saltem eorum qui præsentis sunt) decretum revocetur, secus autem est, si Procurator à pluribus constitutus sit circa jura communia ipsi, singulari jure, tunc enim quilibet etiam aliis invitis revocare potest, sicuti ex *Innoc. docet Felin. cit. num. 7.*

Obijciat aliquis: Prælati in iuribus Ecclesiæ ita se habet, sicuti tutor in iuribus pupilli, tutor autem Procuratorem ad judicia constituere non potest, cum non sit domi-

nus. *l. Neque tutores. 11. junctâ gl. verb. Facere. C. De Procuratoribus:* sed si tutor aut curator impeditus sit à iudice, petere debet adiutorem, qui etiâ actor dicitur seu administrator, *Institut. de curator. in fine. & l. Solet. 13. junctâ gl. verb. Quam curator. ff. de tutorib.* ergo neque Prælati Procuratorem ad judicia in causis Ecclesiæ constituere potest. *3.* cum *Baldo in l. 1. n. 3. de Procur.* licet Prælati tutoribus æquiparentur quoad alienationem rerum utrisque prohibitam, non tamen æquiparari in jure administrationis & in movendis actionibus per se vel Procuratorem, quia non sunt meri ac simplices administratores, sed habent administrationem cum commodo, item habent titulum, & prætendunt jus proprium prælaturæ, quale jus non prætendunt tutores & curatores. idemque sentiendum de aliis, qui meri administratores sunt v. g. actoribus seu administratoribus civitatis. *l. Nec civitatis. 74. de Procurat. & tradit gloss. l. 1. Alienatio. ff. eod.* At verò pater circa bona filij adventitia, in quibus usufructum habet, Procuratorem ad judicia constituere potest videlicet propter commodum usufructus, quod inde percipit, ut *gl. marg. annotavit in cit. l. Neque tutores. ex l. 1. eod. de bonis maternis.* Cæterum post litem contestationem cum dominus litem factus sit tutor vel administrator, non minus, quam alius Procurator Procuratorem alium constituere potest. *c. 1. §. licet. de procurat. in 6.*

6 Not. III. Si Prælati causam agat nomine suo, tum Conventus, jurare etiam debet in animas maioris & sanioris partis conventus exhibito mandato, sicuti dictum in *c. 3. de juram. calumn.* nam Prælati in tali causâ agit etiam ut Procurator conventus, & consequenter sicuti alius Procurator ad certam causam destinatus jurare debet in animas eorum, à quibus constitutus est. ut constat ex *cap. Imperat. 4. eodem rit.* dici etiam potest, quod in casu huius Capituli Syndici utriusque Monasterij causam egerint, sed quia ad positiones (quippe quæ sunt de factis) melius respondere sciebant Prælati & Conventus, ideò non Syndici de veritate dicendam jurare debebant,

sed qui melius eam nosse putabantur, uti docui *in cit. c. 3.*

4 Not. IV. Vna positio quandocumque continet in se plures articulos seu partes, & tunc singulatim ad eas respondere oportet, cum fieri possit, ut vnus articulus seu membrum verum sit, alterum autem falsum, sicuti hic *Menochius notauit. n. 18.*

8 Not. V. Tametsi alioqui aduersarius & interdum iudex positiones reiicere possit, tanquam ineptas aut impertinentes, excipi tamen debet, nisi iudex eas approbaret, tum aduersarius ad eas respondere compellitur, sed & iudex inferior aut delegatus positiones immutatas retinere debet, si ipsi à delegante aut superiore iudice transmissæ sunt, uti in hoc cap. apparet, & monet *gl. verb. Transmissis.*

9 Not. VI. Pars quæ ad articulos probatorias respondere cogitur interrogatoria formare potest, super quæ testes producti examinentur super articulis quos aduersarius posuit. Veruntamen huic interrogatoria communicari non debent, cum alioqui testes subornare possent.

10 Not. VII. Præsumptio esse potest, quòd is, qui testes reprobatorios denuò reprobare seu testes reprobatoriorum reprobatorios producere vult, id agat malitiosè, idè quæ faciliùs ei iuramentum de malitià deferretur. pendet tamen hæc res ex iudicis arbitrio secundum *gl. hic. verb. iuramentum.*

CAPITVLVM III.

Romana.

PARAPHRASIS.

Titius Procurator vel Advocatus Caij fuerat in causâ quadam, sed cum contra Caium lata esset sententia, is appellauit, & coram iudice appellationis positiones suas probare iam vult per Titium, qui in priore instantiâ causæ fuerat Procurator; quæritur, an admitti possit. Respondet Pontifex, admittendum non esse,

Porrò non semper appellanti, si præsumptionem pro se habeat, iuramentum deferri debet à iudice in probationis supplementum, sed id arbitrio iudicis committitur consideratis causæ & personarum circumstantiis.

SUMMARIUM.

1. *Advocatus vel Procurator in prima instantia non potest in causa appellationis esse testis.*
2. *Idem est de Syndico, & Actore.*
3. *Iudex prudenter arbitretur, an parti semiplenenti iuramentum deferendum sit in supplementum probationis, an verò alteri parti in sui purgationem.*

Not. I. Qui fuit Advocatus vel Procurator in prima instantia, ne quidem deposito munere testis esse potest in causâ appellationis; quâ de re dixi *in c. Cum à nobis, 28. extra. hoc tit.* Intelligi autem id debet, si testis producat ab eo, pro quo postulauit, sin autem ab aduersario recipiendus est, ita ut pro utraq; parte testimonium proferre possit, sicuti *gl. hic notauit, verb. In testem. Jo. Monachus n. 2. & 3. Ioan. Andr. n. 1. & 2.* Nam idè Procurator vel Advocatus repellitur, quia censetur esse affectus ad causam, quam procurauit, quæ ratio cessat, si producat ab aduersario causæ, quam Procurator defendendam suscepit.

Porrò quæ dicta sunt de Procuratore, intelligi etiam debent de Syndico & Actore, cum eadem sit ratio eos repellendi; quia sunt affecti ad causam, quam egerunt, quandoquidem comodum inde aut saltem honorem vel gratiam consequentur, si causa obtineatur.

Not. II. Nulla certa regula tradi potest, num iudex parti non nisi semiplenè probanti iuramentum deferre debeat in supplementum probationis, an verò alteri parti in sui purgationem, sed iudex consideratis causæ & personarum circumstantiis id prudenter arbitrari debet, uti dixi *lib. 4. Th. mor. Tract. 3. cap. 5. n. 3. & dicitur in c. vlt. de iure iurando.*

TITV-